DE
DOGMATIBVS,
ET RITIBVS
VETERIS ECCLESIAE


Hæreticorum huius temporis, & præsertim Caluinianorum Testimonia.

Quibus pleræque ipsorum Hæreses refutantur.

Collecta

A PAGANINO GAVDENTIO

Sacræ Theol. Doctore.





ROMAE, Typis Francisci Corbelletti.
MDCXXV.
SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Episc. Hieracen. Vicesg.

Legi hæc Hæreticorum testimonia à D. Paganino Gaudentio contra plerosquè errores pari pietate, & eruditione collecta, meo iudicio non sine fructu in publicum proditura. Romæ 23. Decemb. 1624.

F. M. Antonius Cappellus Ord. Min. Con.

Imprimatur.

F. Vincentius Martinellus Magister, & Socius Reuerendiss. P. *F. Nicolai Rodulfij Ord. Prædic. Sacri Palatij Apostolici Magistri.*

ILLVSTRISS. & REVERENDISS.

Principi, ac Domino,

D. FRANCISCO

S. R. E. CARDINALI

BARBERINO,

SANCTISS. D. N. EX FRATRE NEPOTI.



Ectionem Sanctorum Patrum ad agnoſcendam Veritatem Catholicam magnum eſſe compendium experientia nos docet. Quotuſquiſq; enim alienorum à Ciuitate Dei ſeriò animum ad id laboris appulit, qui non dederit Deo gloriam, feliciterq; ſe Eccleſiæ Catholicæ aſſociauerit? Cùm verò id hoſtes veritatis

probè norint, nihil non agunt, vt ſalutis ſuæ ſtudioſos à tam ſancta opera auertant, aut ſaltem curſum ſtudij remorentur, optatoq; fine priuent, dum nimirum & varijs ſtrophis authoritatem *S*anctiſsimorum virorum eleuare conantur, & illud dixiſſe fingunt, quod ipſis ne per ſomnium quidem in mentem venit. Huic Hæreticorum impio conatui ego hic occurrere ſtategi, & compendiosè quidem. Non enim prolixè ex veterum Patrum monumentis teſtimonia aſciſco (fecerunt id iampridem alij) ſed Aduerſariorum ipſorummet verba adduco, quibus quid ſenſerint veteres, docent perſpicuè. Quicquid verò id operis eſt, quod ſanè exiguum eſſe probè noui, id Illuſtriſs. tuo nomini inſcribo, qui nempe ſcriptorum Eccleſiaſticorum etiam recon-

ditorum diligens fuisti indagator, & dogmata ab ipsis tradita maximo zelo tueris, & integerrimis moribus optimos, & strenuos Christi Athletas imitaris. Suscipe igitur serena fronte opusculum hoc, & me tua benignitate porrò protege. Sic te Deus Ecclesiæ bono, cui natus es, quàm diutissimè sospitet.

Dabam Romæ Cal. Iunij 1625.

Illustr.mæ & Reu.mæ Vestræ Dom.ni

addictissimus seruus

Paganinus Gaudentius.

LECTORI S.

QVantum intersit eorum, qui à veritatis tramite aberrare nolunt, nosse quid veteres Ecclesiæ Patres docuerint, nemo est, qui non videat. Cum verò paucorum ea sit felicitas, vt possint, aut velint ipsi scripta illorum sedulò voluere, lubuit ex libris eorum potissimum, qui Caluinum sequuntur excerpere testimonia, ex quibus minimo labore discant Aduersarij (illorum enim vsui potissimum hanc opellam destinamus) quænam fuerit sanctissimorum virorum de precipuis Religionis Christianæ capitibus sententia. Antequam autem singillatim describam Sanctorum Patrum in vnaquaquè quæstione sensum, operæ pretium me facturum puto, si, quantum sit ipsis deferendum, ex Authoribus aduersarijs doceam.

De

DE AVTHORITATE SS. Patrum veteris Ecclesiæ.

Caput I.



Vàm sint digni Veteris Ecclesiæ Doctores, vt illis de Ecclesiasticis dogmatibus scribentibus fides adhibeatur, palam fiet ex ijs, quæ sequuntur.

I. Aduersarij Romanæ Ecclesiæ prout sunt in plurimas partes scissi, vbi contingit tueri dogma aliquod, quod veteres Christianos Antistites habeat assertores mirum in modum se iactant huiusmodi consensu, illoq; muniti putant se facilè de Aduersarijs posse triumphare. Ita Caluiniani insultant Arrianis, & de Antiquorum suffragio gloriantur, vbi docent Filium Dei esse ὁμοούσιον Patri, Beza Epist. Theol. 6. *Summi illi Patres, qui Nicænæ Synodo vnanimi totius orthodoxæ Ecclesiæ consensu receptis Synodis præfuerunt, à quibus tamen omnibus vos* (Arrianos alloquitur) *defecisse ne ipsi quidem inficiamini*. Ijdem Caluiniani, vt refutent Anabaptistas, qui Pædobaptismum oppugnant, Ecclesiæ Catholicæ perpetuam consuetudinem ipsis obijciunt. Caluinus contra Anabapt. *Aio Sacrosanctum esse institutum* (Pædobaptismũ)

perpetuò obseruatum in Ecclesia Christiana: Nullus est enim priscæ Ecclesiæ tam antiquus Doctor, qui non fateatur Apostolos ita semper vsos esse. Si verò Caluinianis cum suis Aduersarijs ita agere licet, poterimus & nos Catholici illis perpetuum Ecclesię sensum obijcere.

II. Hæretici ijdem prouocant ad Ecclesię primitiuę sententiam, & praxin, illiq; stare paratos se esse aiunt. Rex Magnę Britannię, teste Grotio in Apolog. p. 350. dedit consilium Hollandis, *vt de Capitibus controuersis definitio fieret secundum normam oraculorum diuinorum, Synodorum veterum, & prisci æui interpretum.* Caluinus Responsf. ad Sadoletum: *Neque verò in doctrina dubitamus ad veterem Ecclesiam prouocare.* Casaub. Exerc. 15. § 11. vbi disputat de Romani Pontificis Primatu sic loquitur: *Quare in Verbo Dei, & praxi primitiuæ Ecclesiæ quæstionis huius decisio est omninò quærenda, & eo standum, quod ibi fuerit inuentum.* Non igitur poterunt eos iudices reijcere, quos ipsi sibi constituerunt.

III. Doctores Veteres Christianos vocant Catholicos, orthodoxos, & negant fuisse Schismaticos, & hęreticos. D. Augustinus vocatur à Bucero lib. de Eccles. Reconciliat. *Verè Catholicus, & orthodoxus Pater, & Ecclesiæ Doctor.* Casaub. Exerc. 15. §. 11. *Quoniam autem neq; Schismaticus,*

cus, neq; hæreticus fuit Augustinus. Ex hoc verò inferri potest ipsos cum reliquis Ecclesię Doctoribus sensisse. Sic namq; infert idem Casaub. Exerc. 15. §. 11. *Quoniam autem neq; Schismaticus, neq; hæreticus fuit Augustinus, dubitari non potest ipsum cum Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus sensisse*.

IV. Hæretici fatentur S. Patres fideliter testari de dogmatibus, ritibusq; antiquę Ecclesię. Caluinus nos ad D. Augustinum remittit, vt nouerimus, quid vetus Ecclesia senserit. Verba Caluini sunt Instit. l. 3. c. 3. §. 10. *Ab vno Augustino sumant lectores, si quid de sensu Antiquitatis habere volunt*. Non igitur potest dubitari quin crediderit, feceritq; Vetus Ecclesia, quod illam credidisse, fecisseq; scribunt Sancti Patres.

V. Ijdem Hæretici Veteres Ecclesię Doctores aiunt fuisse viros Sanctos. Beza Epist. 87. appellat eos *doctrina, & pietate prestantissimos*. Non igitur à via veritatis Catholicę aberrarunt.

De vnanimi consensu SS. Patrum, & vnde is colligi possit. Caput II.

QVoniam autem non quiduis, quod occurrerit in libris Veterum, Fide Catholica potest suscipi,

suscipi, sed Illud demum, quod vnanimi consensu à Sanctis viris creditum, traditumq; fuerit, ideò necesse est nosse, vnde possimus de vnanimi illo consensu solidè statuere, in quam rem lubet adducere ea, quę scripsit Illustriss. Cardinalis Perronius in Epist. ad Iacobum Maioris Britannię Regem. Sic itaq; ille: *Ad consensum Patrum cognoscendum æquum fuerit has duas regulas adhiberi, vt tunc existimetur satis probatus esse consensus Patrum, quando eminentissimi quique singularum nationum in rei alicuius affirmatione consenserint, neque illis quisquam se opposuerit, qui quidem orthodoxus censeretur. Secundò, Quando Patres non vt Doctores loquuntur, neque dicunt hoc, aut illud sic esse credendum, aut sic faciendum, sed tanquam testes eorum, quæ suis temporibus Ecclesia Vniuersalis credebat, aut faciebat, dicunt hanc esse fidem, aut praxin Ecclesiæ per totum orbem terrarum, tunc eum honorem illis habendum, vt ad vnanimem consensum Ecclesiæ huiusmodi affirmatio satis credatur valere.* Cui respondens Casaubonus ait: *Vt conueniat quantum Patribus deferendum, non fuerit inutile certas regulas componi; inter alios plures vtiles, ac necessarios Canones, etiam duobus hisce locom posse concedi Rex autumat*. Etsi autem & Hæretici sępe adducant testimonia Patrum, iactentq; apud ignaros sentire se cum Veteribus,
in

in quam rem scripsit etiam Polanus professor Basileensis Symphoniam Catholicam specioso sanè titulo, vt scilicet imponeret Auditoribus, è quorum millibus vix vnus vel à limine salutauerat Patrum scripta, efficiam tamen vel ipsorum aduersariorum obseruationibus, vt videant habere se vniuersam Antiquitatem aduersantem dogmatibus non multis ab hinc annis à Caluino, & paucis alijs in vulgus sparsis. Interim lubet hic adducere insigne testimonium Aduersarij maximi Romanæ Ecclesiæ Andreæ Dudithij Epist. ad Bezam, quæ est inter Epist. Theologicas Bezæ. Sic itaque ille: SI VERITAS EST, QVAM VETERES PATRES MVTVO CONSENSV SVNT PROFESSI, EA A PONTIFICIIS TOTA STABIT.

De Libris Canonicis Sacræ Scripturæ. Caput III.

CAluiniani è numero librorum Canonicorum Sacræ Scripturæ eximunt libros Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobiæ, Iudith, Esdræ libros duos, Machabeorum primum, & secundum, & partem Danielis. Veterem verò Ecclesiam hos libros inter Canonicos retulisse discere est ex ipso Caluino in Anti-

Antidoto Concil. Trident. in quo fatetur Concilium Carthaginense idem sensisse de numero librorum Canonicorum, quod in Concilio Trident. est definitum: Christophorus Iustellus in Indice Codicis Canonum Ecclesiæ Africanæ: *Canon Scripturę*, respicit Canonem 24. in quo ita loquuntur Patres Afric. *Item placuit, vt prętér Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine diuinarum Scripturarum: Sunt autem Canonicæ Scripturæ, idest, Salomonis libri quinque* (inter quos Ecclesiasticus, & Sapientia) *Tobias, Iudith, Esdræ, libri duo, Machabeorum libri duo*. Brentius in Apolog. Confess. Virtebergensis. *Sunt ex veteribus, qui recipiunt hos Apocryphos*. (Loquitur Brentius de libris superius enumeratis, quos immeritò Apocryphos vocat) *in numerum Canonicorum Scriptorum, similiter & quædam Concilia iubent eos, vt Canonicos agnoscere. Non ignoro quid factum sit*.

De Editione Sacræ Scripturæ. Caput IV.

HÆretici, vt nobis obtrudant innumeras versiones Sacræ Scripturæ, quas ipsi confecerunt, fontes Hebræum, & Græcum semper in ore

ore habent, illos vnicè admirantur, quascunquè verò versiones, licèt antiquissimas, sub examen suum reuocant, authenticas negant, multorumq; errorum accusant. Versionem septuaginta Interpretum celeberrimam contemnunt, grauissimosq; viros imperitè plurima transtulisse arguuntur. Quid verò Veteres de illa senserint, quantum ipsi detulerint, testatur Conr. Ritterscus. part. 1. t. 1. ad Nouell. Iustiniani: *Nec dubitat*, inquit, *Irenæus l. 3. pronunciare vnum, & eumdem Spiritum Dei esse, qui in Prophetis est, deinde in Senioribus* 72. ibidem: *Plura de vtilitate versionis (72.) quam Imperator omnibus alijs exactiorem prædicat, peti possunt ex S. Hieronymo.* Tremellius præfat. in Bibl. scribit *S. Augustinum non multum de translatione ex Hebræo laborasse, sed in latina ex septuaginta Senioribus concinnata acquiescere, quòd nihil melius videbat.* Ritterscus. loco iam adducto laudat sententiam S. Iustini in Cohortat. ad Græcos de cellis, in quibus Sancti illi viri Sacram Scripturam transtulerunt.

Sed nihil est iste contemptus septuaginta Interpretum, præ maximo odio, quo prosequuntur Hæretici Versionem vulgatam latinam Sacræ Scripturæ, quam authenticam esse definiuit S. Concilium Tridentinum. Quanto verò in pretio fuerit apud veteres, docet Hunnius aduers. l. 2.

c. 20.

c. 20. de Verbo Dei Illustriss. Card. Bellarmini, his verbis: *Testimonia veterum hoc tantùm volunt, quod latina Translatio Vulgata sit cæteris anteferenda, quæ scilicet tum in vsu erant.* Idem ibidem fatetur per multa secula Ecclesiam Dei vsam hac translatione, cùm alia non extaret. Verba eius sunt: *Ratio à tot seculorum vsu petita hoc tantum euincit Ecclesiam Dei vtiliter ea editione esse vsam, cùm non extaret melior translatio.*

De lectione Sacræ Scripturæ.
Caput V.

CAluiniani necessarium iudicant, vt vnusquisquè etiam laicus legat scripturas, exq; ijs de dogmatibus iudicet. Alia fuit mens Antiquorum teste Vitaker. Controuers. prima, quæ est de Verbo Dei: *Fateor cum Augustino accuratam mysteriorum cognitionem non requiri à plebe, sed sufficere illi si fundamentum Religionis saluum, & integrum tenuerit.*

Ijdem Hæretici sibiipsis similes docent Sacras Scripturas in omnes linguas vernaculas transferendas, vt ab omnibus legi possint. Aliud sensisse veteres fatetur idem Vitakerus ibidem dum ait *Ecclesiam ad tempus ebruisse, & carere potuisse*

verna-

vernaculis versionibus. Idem ibidem docet *S. Apostolos Euangelicam doctrinam vna lingua scriptam reliquisse*. Fr. Iunius ad l. 2. c. 15. de Verbo Dei Illustriss. Card. Bellarmini ait: *Veteres dixerunt Apostolos nil nisi istis linguis* (Hebræa nempe, Græca, & Latina) *scripsisse*. Vitak. l. iam adducto scribit *Ecclesiam vetuisse Scripturam legi nisi latinè*. Et idem Iunius non negat hanc esse Ecclesiæ consuetudinem.

De obscuritate Sacræ Scripturæ. Caput VI.

HAEretici huius temporis, præsertim Caluiniani contendunt Sacram Scripturam adeò esse claram, vt quicunq; illius lector possit ex illa proprio marte discere omnia, quæ Deus vult nos nosse ad salutem æternam consequendam.

An veteres huius sententię fuerint doceant ipsi Hęretici Vitakerus lib. 1. Controuers. q. 4. c. 1. *Patres dicunt obscura esse quædam in Scripturis, & sine interna luce Spiritus Scripturas non rectè à nobis intelligi*. Ireneus l. 2. cotra Hęreticos c. 47. *Cùm ostendisset multa esse in creaturis ipsis obscura, & difficilia, ad extremum ista ad Scripturas accómodat*. Quibus subiungit Vitak. *Nihil verius dici potuit*.

potuit. ibid. Vitak. *Fatemur libenter cum Ambrosio multos esse obscuros in Scriptura sensus, & marisimilem esse Scripturam.*

Hæretici vnius loci Scripturę vnum tantum posse esse sensum statuunt. Contrarium sensit S. Augustinus teste Casaub exercit. 15. §. 11. p. 275. *Sed eæ*, inquit, *sunt diuitiæ Scripturarum, vt quemadmodum ait S. Augustinus plures sensus, & interpretationes possint esse veræ.*

De Traditionibus.
Caput VII.

HAEreticorum dogma est sacris Scripturis contineri omnia, quę de rebus Diuinis sentire, quibusq; Deum colere nos oportet.

Contrarium visum esse antiquis, testis locuples est Casaubonus ad Apparatum Annalium Cardin. Baronij, cùm Cardinalis pro defensione traditionum Apostolicarum adduxisset axioma S. Augustini ex l. 4. c. vlt. de Baptismo contra Donatistas: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur:* Respondet Casaub. p. 73. *Necesse est, vt traditiones, ad quarum confirmationem hoc axioma adhibetur à principio*

cipio nascentis Ecclesiæ ipsi notæ, atq; vsurpatæ fuerint. Deinde vt vbiq; in Ecclesia Catholica obtinuerint, idq; semper non interrupta serie temporum certæ connexionis successione. Augustinus l. 28. contra Faustum,

Idem Casaub. in Epist. ad Card. Perronium: *Ab horum sententia, qui vniuersam Ecclesiæ primitiuæ historiam actibus Apostolicis volunt contineri, longè abest Rex, qui in Epistola Monitoria quanti faceret Patres etiam quarti, & quinti seculi ingenuè declarauit, nec dubitat Rex cum B. Augustino pronunciare, quod probatum fuerit Ecclesiam à prima sua origine ad illa vsq; tempora seruasse, id tanquam impium velle reÿcere, insolentissimæ esse insaniæ.* Iac. Arminius Disp. 4. Th. 13. *Concedimus Apostolos aliqua tradidisse Ecclesÿs ad ritus in illis obseruandos pertinentia, quæ ab illis scripta non sunt.* Fr Iunius in indice in Codinum: *Apostolicæ traditiones.* p. 178. *Imperator coronandus promittit: Colo Apostolicas, & Diuinas traditiones, & constitutiones septem Synodorum OEcumenicarum, & earum, quæ suis temporibus fuerunt certis locis habitæ.*

De Omniſcientia animæ Chriſti, & deſcenſu eius ad Inferos.
Caput VIII.

CAluiniani animæ Chriſti multarum rerum ignorantiam aſcribunt, Danęus tamen fatetur Auguſtinum fuiſſe in contraria ſententia. Verba eius ſunt ad lib. 4. cap. 5. de Chriſto Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini: *Auguſtinus negauit Chriſtum infirmitates pueriles, & ignorantiam ſuſcepiſſe.*

Articulum fidei de deſcenſu Chriſti ad inferos longè aliter explicant Hęretici, quàm Catholici, negantq; Chriſtum anima ſua profectum eò loci, vbi aduentum eius expectabant S. Patres, vt ſcilicet eos inde liberaret. Quid autem ſenſerint veteres, explicat Piſcator Comment. in 1. Petr. 3. *Veteres ex verbis Petri commenti ſunt* (non ſunt commenti, ſed quod ab Apoſtolis fuerat traditum, porrò alijs tradiderunt) *Limbum Patrum, & ex illo liberationem ipſorum per localem deſcenſum animæ Chriſti ad inferos.* Gold. Heimensfeldius Epiſt. ad Ludouicum Lauaterum ait veteres potiſſimum ex dogmate de deſcenſu Chriſti ad inferos confutaſſe Apollinarium negantem Chriſtum

anima

anima rationali esse præditum: aiebant namquè Christum descendisse ad inferos non diuinitate, qua semper vbique fuerit, non corpore, quod iacebat in sepulchro, sed anima. Herm. Rauensperg. in Florileg. p. 216. *Hìc non est prætereundum ex Orthodoxis Ecclesiæ Doctoribus esse, qui Sinum Abrahæ à Cœlo diuersum, & peculiarem locum constituerunt, in quo S. Patres aduentum Christi expectarent. Tertull. aduers. Marcion. l. 4.*

De officio Christi Mediatoris, & duplici eius merito. Caput IX.

CAluiniani opinantur Christum secundum vtramquè naturam esse Mediatorem, quod à Catholicis meritò reijcitur, idq; adstipulantibus S. Patribus, qui disertè docent Christum nonnisi quatenus homo est exercuisse actus Mediatorios, idq; colligunt ex loco D. Pauli 1. Tim. 2. Vnus est Mediator Dei, & hominum homo Iesus Christus; Testatur id Beza Epist. Theol. 28. *Origenes dictum illud Pauli Mediator Dei, & hominum homo Iesus Christus refert non ad Deitatem, sed ad humanitatem.*


Caluinus l. 2. Institut. c. 17. §. 6. negat Chri-

ſtum ſibi quicquam meruiſſe. Quid Patres ſentiant dicat Herm. Rauenſper. Floril Theolog. p. 168. his verbis: *Qui contra Caluinum ſtatuunt habent ſuæ ſententiæ aſſertores Auguſtinum, Hieronymum, Vigilium, & alios Patres, vt oſtendit Zanchius de Relig. Chriſtiana in præfat.* Conrad. Vorſtius in Scholijs contra Sibrandum: *Plerique Patres diſertè id ipſum tradiderunt*, Chriſtum ſcilicet obedientia ſua ſibi etiam meruiſſe. Et cum Sibrandus err. 51. p. 404. dixiſſet: *Quod autem dicit Vorſtius ſcripturam aſſerere Chriſtum propter obedientiam fuiſſe exaltatum*. Reſpondet Vorſtius in Scholijs p. 11. *Quod ſanè impudens mendacium eſt pleroſque Eccleſiæ Doctores, inprimis Patres petulanter inceſſens.* Idem Conr. Vorſtius p. 114. Schol contra Sibrand. *Contra* (Sibrandum, qui ſequitur Caluinum) *innumeri Doctores, quibuſcum tu conferendus non es, aliter iam olim cenſuerunt*. Idem Vorſtius ibid. fatetur locum D. Pauli ad Philipp. 2. vbi Apoſtolus ait propterea quod Chriſtus ſe exenaniuit, ideò exaltatum fuiſſe, aliter explicari à veteribus, quàm Caluinus fecit. Verba Vorſtij ſunt: *Innumeri præſertim Patres locum aliter* (quàm Sibrandus cum ſuis Caluinianis) *explicandum cenſuerunt*.

De

De primatu, & Episcopatu Romano Sancti Petri. Caput X.

HAEretici, quibus placet omnium Ecclesiasticorum paritas, negant Petrum vllum habuisse primatum inter Apostolos. De Veterum sententia scribit Casaub. Exercit. 15. §. 11. *Testimonia*, inquit, *scripturæ illorum opinionem euertunt, qui studio inducendæ in Ecclesiam democratiæ, & paritatis veteribus Patribus exosæ ferre non possunt Petro aliquam honoris prærogatiuam attribui. &c. sentimus igitur etiam in hac parte cum pia antiquitate.* ibid. *Versati in Patrum lectione sciunt sæpe illos Petro attribuere* τιμὴν *honorem inter collegas,* κηδεμονίαν, & προστασίαν *curam, & præsidentiam.* Exercit. 15. §. 16. p 308. *Et nos credimus cum Patribus Petro post ascensionem Domini aliquem esse tributum à cæteris Apostolis, & ordinis, & honoris primatum.* Quæ quidem Casauboni confessio non sufficit omninò, cum ambigua sit ad exprimendum primatum authoritatis, & iurisdictionis, quam habuit in totam Ecclesiam; illam tamen apposui ad refutandos Puritanos Caluinianos veritatis Catholicæ hostes longè alijs infensiores.



Opt. Mileuitanus apud Casaub. p. 529. *Negare non potes scire te in Vrbe Roma Petro primo Episcopalem Cathedram esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas est appellatus.*

Ijdem Hæretici omnia molientes, vt S. Petri primatum, & successorum ipsius authoritatem euertant, negant mordicus S. Petrum vnquam fuisse Romæ, vnde colligunt, fieri non posse, vt fuerit Romanus Episcopus. Petrum verò fuisse Romæ constans est veterum sententia, vel Caluino ipso teste l. 4. Instit. c. 6. §. 11. *Propter scriptorum consensum uon repugno quin Romæ mortuus sit Petrus.* Casaub. Exercit. 15. §. 11. fatetur *Olim Episcopo Romæ tanquam B. Petri successori cæteros omnes primas sine inuidia concessisse*. Ioseph. Scaliger animaduers. ad Euseb. p. 181. *Vetustiorum opinio est Paulum, & Petrum eadem die, eodemq; anno simul passos. Dionys. Corinth. Episc. ad Romanos apud Euseb. in fine l. 2. Epist. Eccles. posterior sententia eorum est, qui eodem quidem die vtrumquè Apostolum paßum volunt, sed interiecto anno vno Petrum post Paulum. Auctor Vetustus ante Schol. OEcum. qui scribebat Arcad. IIII. Honor. Aug. III. Consul. indict. 9.* M. Antonius de Dominis l. 1. de Republ. Eccles. c. 4. anno Christi 68. Neronis 12. *Simon Magus Romæ debacchatur.*

Accur-

Accurrunt Petrus, & Paulus, prosternunt Magum, & Martyrio coronantur.

Ijdem vtut concederent Petrum & fuisse Romæ, & ibi mortuum, negarent tamen fuisse Episcopum Romanum. Sed refutantur à Veteribus, de quorum sententia testantur ipsimet Hæretici. Casaub. citat verba Opt. Mileuit. pag. 529. quæ superiùs adducta sunt.

Negant ijdem Hæretici primatum Petri transijsse ad successores. Sed aliter sentiunt veteres, scribente Casaub. Exerc. ù5. §. 11. *Olim Episcopo Romæ tanquam B. Petri successori cæteros omnes primas sine inuidia concessisse.*

De Antichristo. Caput XI.

IMpijssimi homines tantopere auersantur in suam perditionem Christi Vicarium, successorem S. Petri Romanum Pontificem, vt palam asserere & voce, & scriptis non erubescant esse eum magnum illum Antichristum, quem venturum sæpiùs scriptura testatur. Catholici autem Sanctorum Patrum vestigia secuti sentiunt fieri non posse, vt Pontifex Romanus sit Antichristus. Hoc colligunt ex ijs, quę iam olim Viri sancti de Antichristi persona, miraculis, alijsq; scripta reliquerunt,

quod videre est apud Zanchium Caluinistam primarium in libro de fine Mundi, qui est liber secundus Miscellaneorum ipsius p. 72. vbi ita loquitur: *Dicere sub finem mundi insignem quendam, & omnium iniquitate excellentissimum Antichristum, qui etiam miracula edat, venturum esse, non pugnat cum sacris litteris.* Ministri Tigurini in iudicio de thesibus Zanchij. *Hæc,* inquiunt, *thesis non potest vt hæretica explodi, cùm admodum sit probabilis: Omnes enim fermè Patres in ea sententia fuerunt.* Zanchius lib. 2. Miscell. p. 97. *Antiqui Patres tàm Græci, quàm Latini per cornu illud vltimum Dan. 7. intellexerunt Antichristum cum suo regno, & hunc quidem (Patrum sententiam refero) venturum sub finem seculi, eumq́; derepente inter decem cornua, idest, inter decem Reges exoriturum. Ita Hippolytus, Hieronymus, qui ait hanc sententiam esse omnium scriptorum Ecclesiasticorum.* ibid. p. 298. *Quod ad vltimum illum Antichristum attinet, nihil dixi, nisi iuxta sententias Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum.* p. 299. *Si monstrum appellant dogma de Antichristo: monstrum hoc non ego genui, sed Patres tam Græci, quàm Latini simul.* ibid. *A Patribus hoc firmissimè asseueratur.*

Cùm ex ijs, quæ Propheta Daniel prędixit de Antichristo colligatur perspicuè fieri non posse, vt Pontifex Romanus sit Antichristus, ideò Caluiniani

ni negant Danielem propriè, & historicè de Antichristo agere contra expositionem Veterum. Fran. Iunius ann. 449. in lib. 3. de Summo Pontifice Illustriss. Card. Bellarm. *Negamus de Antichristo propriè, & historicè Danielem agere, de Antiocho affirmamus cum bona Patrum venia.*

De Iurisdictione Pontificis Romani in alios Ecclesiasticos, & horum inter se. Caput XII.

CAluiniani Puritani negant Romanum Pontificem habere vllam authoritatem in alios Episcopos, & Ecclesiasticos contra sententiam Antiquorum, de qua testatur Isaacus Casaub. Ep. ad Cardinalem Perronium p. 36. *Tunc Rex sine cunctatione primas Pontifici Rom. deferet, ipsumq; Πάσης τῆς Ἐκκλησιάς Προεδρεῖν cum Nazianzeno dicet non inuitus.* Exercit. 15. §. 11. *Iure meritò illis temporibus Episcopo Romæ Ciuitatis Dominatricis, & B. Petri Successori, cæteri omnes primas sine inuidia concesserunt.* Quibus quidem verbis vt vt Aduersarius non satis clarè, & amplè describat authoritatem Pontificis Romani, quam semper habuit, & vbi opus fuit exercuit, sufficiunt tamen nobis illa ad euertendam paritatem, quam Calui-

niani

niani Puritani contendunt debere esse inter omnes Ecclesiasticos.

Ijdem Caluiniani ferre non possunt, vt vnus Episcopus tanquam Archiepiscopus, aut Patriarcha alijs præsit contra morem Veterum, de quo scribit Isaac. Casaub. Exercit. 16. §. 143. *Fateor prudenter, exq; vsu Ecclesiæ discrimen esse positum inter Episcopos cum sunt instituti Metropolitani, & Patriarchæ. Iuris positiui ea est institutio, primi, secundi, & magna etiam, vt videtur, tertij seculi parte ignota.*

De consuetudine Episcoporum in audiendis causis ciuilibus, & authoritate Conciliorum. Caput XIII.

CAluiniani Angli, quibus probatur Episcoporum authoritas affirmant fas esse Episcopis contentiones ciuiles audire, & dirimere, vt prolixè asserit Adrian. Sarauia l. de Gradib. Ministr. Bezæ autem, reliquisq; qui Episcoporum institutum sustulerunt, eiusmodi consuetudo improbatur. Quomodo autem Veteres hac etiam in re se gesserint docet ipse Beza Epist. 12. Episcopos veteres con-

constat controuersias tales audiuisse, citatq; Possidonium in vita S. Augustini, quem etiam affirmat multum fuisse occupatum in eiusmodi controuersijs audiendis, & decidendis.

Cùm aduersarij Romanæ Ecclesiæ probè nouerint admissis sacrorum Conciliorum decretis sponte sua corruere ea, quæ aliquot ab hinc annis cœperunt aduersus perpetuum Ecclesiæ Christianæ sensum spargere, ideò non est mirandum, si quantum in se est, authoritatem Sacrosanctam Conciliorum eleuatum eant. Quàm verò veteres eiusmodi Concilia venerati fuerint, quantum ipsorum declarationibus detulerint, dicit Casaub. Epist. ad Regem Maioris Britanniæ in Exercitationes suas ad annales Cardinalis Baronij: *Tempore B. Gregorij Magni stabat suum vis, & in Ecclesia summa authoritas Concilijs vniuersalibus.* Conr. Rittersch. c. 2. p. 1. n. 1. ad Nouellas Iustiniani: *Marcianus vetuit reuocari in disputationem, aut retractari ea, quæ semel iudicata sunt. In contemptores huius legis grauissimas constituit pœnas l. 4. nemo Cod. de Summ. Trinit. Rationes inseruntur. Primò. Quia disputatores isti iniuriam faciunt reuerendissimæ Synodo. Secundò. Prophanantur mysteria. Tertiò Tumultus occasio generatur. Ibid. In vniuersum septem sunt in Ecclesia Græcorum habita Concilia OEcumenica, quorum etiam vindicem, & seruatorem*

rem esse oportere Imperatorem ait liber de Iure tit. 1. c. 7. l. 2. tom. 1. Græc. Romani Iuris pag. 178. Christophorus Iustell. præfat. in Codicem Canonum Eccles. Afric. *Verissimum est, quod Augustinus scripsit; Conciliorum in Ecclesia saluberrimam esse authoritatem. Nec immeritò ab omnibus ferè Patribus veteris Ecclesiæ passim laudata est sacrorum Comitiorum publica, ac propè necessaria vtilitas.* ibid. *Quatuor Conciliorum tanta fuit apud omnes dignitas, & authoritas, vt perinde ac sacræ Scripturæ susciperentur, singularisq; honos, quoad Fidei dogmata, videlicet tanquam ex eodem fonte ducta, haberetur. Id testatur Iustinianus Nouell. 131.*

Hæretici Septimum, & Octauum Concilia Generalia reijciunt, cum ijs damnetur hęresis Iconomachorum: Iustellus tamen ait; octo Concilia generalia in Oriente fuisse conuocata in notis ad Canones African. p. 33. *In tot,* inquit, *seculis Christiani nominis plura non extant in Oriente, quàm octo OEcumenica Concilia.*

De Iure Canonico. Caput XIV.

HAEretici cùm semel statuerint quàm longissimè ab Ecclesiæ Catholicæ moribus recedere, ijsq; euersis pro suo lubitu rem Christianam insti-

instituere (si tamen Christiana vocari potest, quæ Christianismum oppugnat) Canones veterum Conciliorum, sententias Sanctorum Patrum, Pontificum Romanorum rescripta, eorumq; collectionem, quam Ius Canonicum vocamus, explodunt, & vel absquè vlla sacra politia in diem viuunt, vel nouas ipsi sibi figunt leges. Quid verò visum fuerit antiquis Christianis de Sacrorum Canonum Codice prolixè docet Christophorus Iustellus præfat. in Cod. Canon. Ecclesi. Vniuers. *In Concilijs*, inquit, *duo Codices poni solebant, Codex Sacræ Scripturæ, & Codex Canonum, vt ex eorum Iure Episcopi inter se dogmata pietatis explorarent, obortas hæreses refutarent, & controuersias ad disciplinam Ecclesiasticam, sacramq; politiam pertinentes dirimerent. Hunc morem indicat Epist. Synod. Concil. Aquileiæ tom. 1. Concil. & in act. 1. Concil. 8. OEcum. Codicis verò Canonum ipsa quoq; Chalcedonensis Synodus meminit, atq; ex eo Patrum Canones citat, & eorum iure de controuersijs pronunciat.* ibid. *Hinc liquidò constat maiores habuisse certam Canonum collectionem, seu corpus regularum, ac definitionem ex certis Concilijs, certo etiam numerorum ordine collectum, atq; communi Ecclesiæ vniuersæ authoritate confirmatum.* Idem præf. in Cod. Eccles. Afric. *Synodicarum autem collectionum duo genera fuisse, quarum primum Conciliorum acta ad*

dogmata

dogmata, & fidei doctrinam spectant, continebat, & συναγωγὴ τῶν συνόδων, vel Synodicon à Socrate vocatur l. 3. c. 21. Alterum verò Canones Conciliorum, qui ad disciplinam Ecclesiasticam, sacramq; politiam spectant, & βιβλίον κανόνων in Concilio Chalcedonensi nuncupatur. Hinc frequens διατυπώσεων, & κανόνων *distinctio apud Ecclesiasticos Scriptores Græcos.*

De Ecclesiæ Catholicæ visibilitate, duratione, & authoritate. Caput XV.

ECclesiam Catholicam tanquam Ciuitatem in monte positam, & tabernaculum in Sole constitutum neminem prudentem latere posse dogma est Catholicorum aduersus Hęreticorum latebras, qui inuisibilem statuunt Ecclesiam, ne scilicet sua conuenticula deserere, & S. Romanæ Ecclesię sese associare cogantur. Quid verò etiam hac in re docuerint Veteres, & in primis S. Augustinus videre est apud Casaub. in Epist. ad Cardin. Perronium p. 9. *Olim* (temporibus Augustini) *Ecclesia Catholica erat omnibus nota, perspicua, certa, vt de ea ambigere nemo sanæ mentis posset, longè, latèq; per orbem terrarum diffusa.*

Eccle-

Ecclesiam Catholicam non negant impij Hæretici olim rectè sensisse de dogmatibus fidei, atq; adeò affirmant habuisse tunc Christum sponsam in his terris impollutam, successu verò temporis illam in errores incidisse, Ecclesiamq; esse desijsse, atq; adeò Ecclesiam posse deficere, quod certè repugnat sensui Antiquorum, quod testatur Caluinus l. contra err. Serueti: *Verissimè ergo Augustinus docet, si Christus cum Ecclesia perpetuò coniunctus non esset, fore vt illa minus consequeretur, quàm ei Prophetæ tribuunt, vt sit Redemptor Sion, & salutare illud, quod viderunt omnes fines terræ. Prudenter etiam infert, qui Ecclesiam abolitam docent, Ecclesiæ membra esse non posse.* Casaub. Exercit. 16. §. 32. *Ex illo tempore (* S. Augustini *) Ecclesia Catholica non desijt illa quidem: erit enim, neq; portæ inferorum præualituræ vnquam sunt aduersus ipsam fundatam in fide Petri, & cæterorum Apostolorum.*

Hęretici, vt maximo fastu tument, non raro etiam aduersus totius Ecclesiæ Catholicæ authoritatem excipiunt, docentq; quod placet, siue id Ecclesiæ probetur, siue improbetur. Non ita veteres, non ita D. Augustinus, qui iudicat insolentissimæ esse insaniæ disputare aduersus id, quod tota Ecclesia facit. Hinc Casaub. Epist. ad Cardinalem Perronium p. 22. *Nec dubitat Rex cum B. Augu-*

stino

stino pronunciare, quod probatum fuerit Ecclesiiam à prima sua origine ad illa vsquè tempora seruasse, id tanquam impium velle reÿcere, insolentissimæ esse insaniæ.

Tantùm verò abest, vt veteres Christiani Ecclesiæ Catholicæ præceptis vnquam se opposuerunt, vt Episcopi sedes Patriarchales summa reuerentia obseruarent, illisq; paruerint. Casaub. Exer. 14. §. 4. *Synesius scribit initio Epist. Diuinitus mihi imposita est necessitas, vt pro lege habeam, quicquid illa sedes constituerit: Tanta erat olim sedium Patriarchalium apud minores Episcopos reuerentia.*

De quibusdam notis Ecclesiæ. Caput XVI.

CAtholici assignant notas quasdam, quæ in sensus incurrunt, ex quibus non difficile fuerit Ecclesiam Catholicam agnoscere, & agnitæ adherere. Hæretici studiosè illas obscurare satagunt, nè scilicèt sectatores amittant. Inter notas autem, quas afferunt veteres non contemnenda est ipsum nomen Catholicum. Asserunt nempe Christianos veros à nullo homine priuato nomen accipere, vndè inferunt eos, qui à priuatis hominibus

sectæ

sectæ auctoribus appellantur esse Hæreticos. Fatetur hoc Piscator aduers. Schafm. p. 276. *Ad illud quod exaggerat Schafmannus; Iohannes Nicolaitas à primo sectæ authore nominauit, deinde Iustinus & Chrysostomus testantur quoslibet nouæ doctrinæ auctores nomen suis sectatoribus indidisse. Idem in OEcumenicis Concilijs factitatum est.*

Hæretici, qui non ita pridem ebulliuerunt, carent successione perpetua Episcoporum ab exordio Ecclesię, vnde ne dicantur carere Ecclesia, negant Ecclesiam veram agnoscendam ex successione. Quæ fuerit mens Antiquorum hac in re docet Caluinus l. 4. Instit c. 2. §. 3. vbi fatetur Irenæum, Tertullianum, Origenem, Augustinum, Optatum, meritò, & optimo iure successionem Doctrinæ ab Apostolis ad ipsos vsquè perductæ contra Hæreticos obiecisse, & verum sumpsisse, quod omnibus erroribus nouis conficiendis sufficeret. Beza Ep. 1. *Et vnde quæso te tum Ecclesia agnita est?* (Tempore Arrij Eutychetis) *Hic video recurrere ad Apostolicam successionem plerosquè veteres.*

In primis verò ad successionem Episcoporum Romanę Ecclesiæ respexerunt, teste Aman. Polano in Symphon. Catholica c. 18. §. 64. *Fideles*, inquit, *olim ad successionem Episcoporum Romanæ Ecclesiæ, quæ tunc pura in doctrina fidei, & orthodoxa erat, respiciebant, vt Irenæus, Tertullianus,*

Augustinus. Casaubon. Exerc. 15. §. 15. p. 310. *Augustinus ait: Numerate Sacerdotes, vel ab ipsa sede Petri, quasi dicat; quoniam longum est omnium Ecclesiarum numerare Sacerdotes, vbi doctrina Catholica semper est seruata à principio, & nunc maximè seruatur, saltem consulite Romanos Episcopos à primo illius auctore Petro.*

Ex miraculis vt olim agnita est veritas, & Ecclesia Christi, sic semper agnosci posse, & debere; nemo est, qui non videat, modò miracula fiant. Vtvt autem desierint fieri miracula illa frequentia, qua sub initia Christianismi fiebant, nunquam tamen aliqua Ecclesiæ quouis seculo defuerunt. Casaub. pro leg. contra Baron. *Post sextum seculum miraculorum fuit benigna copia, verorum sine dubio multorum.* Idem Exerc. 16. §. 152. *Vbi verò semel constituta est Ecclesia, & scripturis sua constitit in Ecclesia Dei authoritas non planè quidem miracula fieri desierunt, semper enim facta sunt, & verissimum est, quod super eo scribit August. Retract. l. 1. c. 13. sed fieri ita, vt initio, & communiter desierunt. Itaquè sæpè legas apud Patres desijsse gratiam miraculorum, Chrys. lib. 4. de Sacerd. Augustinus varijs locis.*

De Romanæ Ecclesiæ reuerentia, & Pontificum Romanorum erga Ecclesiam Dei meritis. Caput XVII.

MAximo odio in Ecclesiam Romanam flagrant Hostes veritatis, non desunt tamen, qui ipsi testimonium perhibent, fatenturq; maximi à veteribus factam. Casaub. Exerc. 15. §. 15. p. 310. *Illis temporibus* (Irenæi, Tertulliani, Augustini) *Romana Ecclesia confessione omnium sanctissima; integritate fidei florentissima; & propter successionem Petri, ciuitatis maiestatem, & ipsum imperium nobilissima, ac notissima. Augustinus ait: Numerate Sacerdotes vel ab ipsa sede Petri, quasi dicat, quoniam longum est omnium Ecclesiarum numerare Sacerdotes, vbi doctrina Catholica semper est seruata à principio, & nunc maximè seruatur, saltem consulite Romanos Episcopos à primo illius sedis auctore Petro.*

Aduersarij cęco furore acti conuicijs proscindunt Romanos Pontifices, illos quasi doctrinam Catholicam corruperint, accusant. Quàm verò benè de Ecclesia Dei sint meriti, dum fidei inte-

gritatem conseruarunt, dicat Casaub. Exerc. 15. §. 15. p. 312. *Nemo peritus rerum Ecclesiæ ignorat opera Romanorum Pontificum per multa secula Deum esse vsum in conseruanda sarta tecta recta fidei doctrina*, Idem Exerc. 14. §. 4. fatetur Romanum Pontificem olim dictum Apostolicum, & addit: *Negare non possumus, nec debemus, veterum illius sedis Episcoporum ea extitisse in vniuersam Dei Ecclesiam merita, vt hoc honore, & quouis alio esset dignissimus*. De Sancto Leone Magno idem Casaub. Exerc. 15. §. 11. p. 312. *Non ignoramus quantus fidei sinceræ fuerit defensor, & pro recta fide quantos labores sustinuerit, quàm Ecclesiæ Dei vtiles*. Hæretici, vt Ecclesiæ Romanæ concilient odium, populosq; ab illius vnitate abducant, exaggerant prauos mores quorundam Catholicorum. At propter malos non debere deseri Ecclesiam docent veteres, teste Polano c. 21. Symph. Catholicæ §. 5. *Non est*, inquit, *recedendum à coniunctione Ecclesiæ propter malos mixtos bonis contra Anabaptistas, & probat Augustinus lib. 1. contra Donat. post collat. c. 29. Tolerandos potius in Ecclesia malos, quam propter eos Ecclesiam deserendam, vt præcepto admonuit Cyprianus, & suo confirmauit exemplo*.

De

De nomine Clericorum, & electione Ministrorum Ecclesiæ. Caput XVIII.

HAEretici nullo modo ferunt, vt Ministri Ecclesiastici Clerici, cæteri verò laici appellentur. An autem apud veteres Christianos in vsu fuerit eiusmodi distinctio, & appellatio, patet ex ipsorum Aduersariorum scriptis. Caluin. Coment. in 1. Petr. 5. *Vtinam nunquam Patribus venisset in mentem vt hac voce (*Clerus*) vterentur*. Fran. Iunius ad l. 1. c. 1. Card. Bellarmini de Clericis non negat hanc distinctionem S. Patribus placuisse. Ritterschs. Comment. in Saluian. p. 136. *Vsitatissima, & vetustissima est Christianorum partitio in Clericos, & laicos*.

Ius Electionis ad Ecclesiastica munera deberi Ecclesiasticis hominibus negant Hæretici, illudq; summis Potestatibus secularibus, aut plebi, aut Presbyrio, quod constituitur apud ipsos partim ex Ministris, partim ex Senioribus laicis, tribuunt. De veterum sententia hac in re scribit Hugo Grotius in suo Apologetico aduersus Hollandos c. 7. *Circa electionem ad Episcopi dignitatem discrepauit consuetudo. Nam quibusdam in locis electio facta*

est à presbyteris, & diaconis, alibi ab eisdem, sed conscia plebe, aut de plebe præcipuis. Quod si qua incideret controuersia fermè Episcous Vrbis Matricis, quem Metropolitam vocant, certamen dirimebat.

De ordinibus Ministrorum Ecclesiæ. Caput XIX.

CAluiniani Geneuenses vnum ordinem Ministrorum statuunt, quibus addunt laicos quosdam, quorum annuum est munus, eorumq; alios vocant seniores, qui cum Ministro plebi præsunt; alios diaconos, qui eleemosynarum curam habent. An consentiant cum antiquitate discant ex Conr. Ritters. part. 1. c. 7. Com. in Nouellas. *Notetur*, inquit, *quod ait Optatus Mileuitanus l. 2. aduers. Parmen. Certa mambra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbiteros, Diaconos, Ministros, & turbam fidelium. Idem l. 1. p. 16. Ordinem Hierarchiæ Ecclesiasticæ ad hunc modum recenset, Primò. Episcopos ponit tanquam Apices, vt vocat, & principes omnium. Secundò. Presbiteros, quos dicit in secundo sacerdotio constitui. Tertiò. Diaconos in tertio. Quartò. ponit Ministros plurimos, id est, Hypodiaconos. Cantores, siue Psalmistas, Lectores, Acolythos.*

thos. Ignat. Epist. 7. ad Smyrnens. Omnia à vobis bono ordine perficiantur in Christo, laici diaconis subordinentur, diaconi presbiteris, presbiteri Episcopo, Episcopus Christo, sicut ipse Patri, & Epist. 2. ad Trallianos.

Episcopos eosdem esse cum Presbiteris ijdem Geneuenses docent; hinc Episcoporum ordinem, vbicunquè potuerunt, sustulerunt. De sensu, & praxi veterum testatur Sarauia l. de diuersis Ministr. gradibus: *Tria*, inquit, *sunt in quibus sine vllo verbo Dei Ecclesiæ nostræ à prisca antiquitate recesserunt; primum est Episcoporum abolitio.* Idem ibid. *In hac re ab antiquitate vniuersali, & sibi consentiente, & per omnes ætates constante receditur.*

Presbyteros ijdem Geneuenses temporarios, & annuos, & laicos inuenerunt. Quid autem de illis sit statuendum docet idem Sarauia ibid: *Tria*, inquit, *sunt in quibus Ecclesiæ nostræ à prisca antiquitate recesserunt; alterum presbyterorum temporariorum inuentio.* Idem l. 3. Apol. cont. Bezam: *Quis ex Patribus nostros Presbyteros annuos agnosceret veros esse, & legitimos?*

Per Presbyterium apud D. Paulum intelligunt Caluiniani cœtum seniorum laicorum cum Ministro. Aliter visum est veteribus teste Iustello in Can. 38. Cod. Can. Ecclesl. Vniuers. *Presbyterium*, inquit, *accipitur pro consessu presbiterorum, cui*

præerat Episcopus 1. *Tim*. 4. *v*. 14. *Ignat. in Epist. ad Antioch. salutat* Τὸ ἅγιον Πρεσβυτέριον. *Et in Epist. ad Trall. Presbiterium indicat his verbis: Quid verò est Presbiterium nisi cœtus sacer, consiliarij, & consessores Episcopi? Cornelius vrbis Romæ Episcopus apud Cyprian. l. 3. Ep. 11. omni actu ad me perlato placuit contrahi sacrum Presbiterium.*

De Diaconorum ordine, & munere. Caput XX.

GEneuenses inuenerunt Diaconos quosdam, quorum munus annuum est, laicos planè, ignotos omninò antiquitati, vt scribit Sarauia loco iam adducto. *Tria*, inquit, *sunt, in quibus Ecclesiæ nostræ à prisca antiquitate recesserunt. Alterum Diaconorum temporariorum inuentio, & tertium eorum officium, & functio.* ibid. *In hac re ab antiquitate vniuersali, & sibi consentiente, & per omnes ætates constante receditur.* Idem l. 3. Apolog. contra Bezam: *Olim tres partes diaconiæ fuerunt.* ibid. *Quis ex Patribus nostros Diaconos annuos agnosceret veros esse, & legitimos?* ibidem: *Patrum Diaconi, veri erant Diaconi, & ad illud ministerium ordinati non in annum, sed quamdiu dignè sua vocatione viuerent.*

Dia-

Diaconi Geneuenſes laici ſolùm calicem in cœna Caluiniana porrigunt populo. Diaconi veteris Eccleſiæ porrigebant panem, & populo miniſtrabant. Iuſtellus ad Can. 22. Eccleſ. vniuerſ. *Diaconi olim panem, & calicem miniſtrabant populo. Iuſtinus Martyr apol. 2. Qui dicuntur apud nos Diaconi dant vnicuiquè eorum, qui adſunt percipiendum panem, & vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, & ad eos, qui abſunt perferunt. Cypr. Serm. de lapſis.*

De cœlibatu Sacerdotum, & Virginitatis dignitate.
Caput XXI.

COelibatum magnopere improbant Hęretici in Sacerdotibus, piæ antiquitatis in hac quoquè re deſertores. Caluin. l. 4. Inſt. c. 4. §. 10. *Peccauit Antiquitas modica ſeueritate, quod plus requireret in Epiſcopo, quàm Paulus requirat, ac præſertim ſucceſſu temporum cœlibatum.* Ritterſch. p. 1. c. 7. in Nouell. *In perſona Epiſcopi eligendi ex Nouellis requiritur, vt ſit cœlebs, & orbus.* Caluin. l. 4. Inſtit. c. 12. §. 23. *Quod ſacerdotibus interdictum fuit coniugium* id factum eſt etiam notat in margine Syricium Epiſt. ad Epiſc. Hiſpan.

qui

qui vixit quarto seculo. *Hæc*, inquit Caluinus, *quæ videbantur reuerentiam Sacerdotio conciliare, magno applausu etiã antiquitus recepta esse fateor.*

Christophorus Iustell. in notis ad Canones Africanos can. 97. *Diaconi, Presbiteri, sed & Episcopi ab vxoribus se contineant. vide*, inquit, *Can. 3. 4. 16. & 70. huius codicis, & Can. 46. Cod. Can. Eccles. Vniuers.* Canon autẽ tertius Cod. African. sic habet: *Aurelius Episcopus dixit: Cum preterito Concilio de continentia, & castitatis moderamine tractaretur, gradus isti tres, qui constrictione quadam castitatis per consecrationes adnexi sunt, Episcopos, inquam, presbiteros, & diaconos, ita complacuit, vt condecet sacros Antistites, ac Dei Sacerdotes, nec non & leuitas, vel qui sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quò possint simpliciter, quod à Domino postulant, impetrare, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit Antiquitas, nos quoque custodiamus.*

Sanè reuerentiam conciliabat Sacerdotio cœlibatus, quandoquidem, quicquid dicant Hæretici, Virginitas longè præstat Matrimonio iuxta sensum antiquorum, de quo hæc habet Conr. Rittersf. in Nouell. Iustiniani p. 1. c. 7. *Pauli in 1. Cor. 7. authoritatem secuti plurimi S. Patres virginitatem matrimonio anteposuerunt.* Idem in lib. 4. Ep. 125. S. Isidori Pelusiotæ: *S. Isidorus docet virginitatem anti-*

antiſtare coniugio, quæ & Apoſtoli Pauli, & omnium veterum Eccleſiæ Doctorum, & ipſius adeò Christi ſententia vnanimis eſt, vt demirer repertos fuiſſe, qui diſſentire ſint auſi: Ignat. Epiſt. 6. ad Philadelphos, Epiſt. 10. ad Heron. Diacon. Antioch. Gregor. Nazianz. περὶ φιλοπτωχίας: ἰησοῦς ἐκ Παρθένου γινώμενος, ἵνα καὶ γένησιν τιμήσῃ, καὶ προτιμήσῃ Παρθενίαν *& Baſil. Magn. & Damaſc. lib. 4. de Orthod. fid. c. 100. Beda, Cyprianus, Theodor in Cantic. Sulpit. Seuer. in dial. vbi ſub perſona B. Martini ſic ait: Beata ſpecies, & Deo digna. Nihil enim eſt virginitati comparandum. Ita & illi, qui coniugia fornicationi comparant, vehementer errant, & illi, qui coniugia virginitati exiſtimant comparanda, miſeri penitus, & ſtulti ſunt. Verum hæc à Sapientibus tenenda diſtinctio eſt, vt coniugium pertineat ad veniam, virginitas ſpectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad pœnam, niſi ſatisfactione purgetur.*

De vita Monaſtica.
Caput XXII.

HAeretici ſunt aperti hoſtes Monachorum, eorumq; collegia, & ędes vbicunq; poſſunt, tollnnt, parum penſi habentes quicquid veteres hac de re ſenſerint, qui quanto in honore habuerint

rint institutum hoc colligimus ex ijs, quæ Conr. Ritterſch. habet p. 1. in Nouell. *Olim ex Monachis plerumq; Episcopi eligebantur, quod & multis exemplis Ecclesiasticæ historiæ probari potest. Imò disertè iubet Imperator, vt non ex plebe assumatur Episcopus, sed ex Clero, & Monasterio.* ibid. *Institutum Monachorum ipsum fuit sanctissimum, & plurima ex Monasterijs lumina Ecclesiæ Christianæ prodierunt, imò & S. Basilius, & S. Augustinus, & alij accuratas regulas exercitiorum sanctorum præscripserunt, quæ appellantur* ἀσκητικά: *Sicut Monasteria ipsa dicta sunt* ἀσκητήρια, *ab* ἄσκησις *exercitium. Fuit enim tempus cùm ferè quicquid in orbe terrarum eruditionis esset, quicquid librorum, id omne Monasteriorum claustris contineretur.* ibid. *Constat vel ex Philonis in vita Contempl. testimonio, quod & Hieronymus laudat in l. de Scriptoribus Ecclesiasticis antiquissimum hoc esse institutum, fluxisseq; ex moribus primorum Christianorum, de quibus testatur Lucas in act. c. 2. v. 44. & 3. seqq. & 4. v. 32. 34. 35. Deniquè & Possidonius satis apertè indicat in vita Augustini. Maximè verò in Palæstina siue Syria, & AEgypto Monachi primitus extiterunt.* ibid. *Porrò magna Elogia, & amplæ laudes huic vitæ generi adscriptæ sunt, cuiusmodi colligi possunt ex Chrysost. & alijs sanctissimis Patribus, si hoc ageremus. Contenti simus istis ab Imperatore*

pro-

prolatis, Nouell. 5. Conuersationis monachalis vita sic honesta est, sic commendare nouit Deo ad hoc venientem hominem, vt omnem humanam eius maculam detergat, ac parum & rationibus naturæ decentem, & plurima secundum mentem operantem, & humanis cogitationibus celsiorem reddat. & nouell. 133. ibi. Fuit tempus cum ita homiues ad monasteria confluerent, vt etiam militiæ se subtraherent. ib. Suut autem stupenda, quæ de eorum duritie, alijsq; virtutibus, & miraculis passim legimus apud Athanasium, Hieronymum, Theodoretum, Sulpitium Seuerum Buchananus l.4. rerum Scotic. Multi ex Britonibus ad Scotos sæuitiam Diocletiani timentes confugerant, è quibus complures vitam solitariam tanta sanctitatis opinione apud omnes vixerunt, vt vita functorum cellæ in templa commutarentur, &c. hoc genus Monachorum Culdeos vocabant. Casaub. Exerc. 2. §. 13. p. 9. Patres peculiari notione τελείους illos appellarunt, qui mundo renunciassent, & vitæ austerioris propositum suscepissent. Sic verbum ἀσκεῖν peculiariter vsurpabant de Monachis, & Sanctimonialibus. Patres solent vitas austeriores, si quæ extiterunt sub lege προαναφωνήσεις τοῦ τῆς νέας διαθήκης πολυτεύματος vocare. Ritters ch. in Saluian. p. 407. puellas in sacris altaribus constitutas Nonnas, seu Moniales in altaribus antiquitus consecrabant, Deoq. vouebant. Casaub. Exerc. 13. §. 6.

§. 6. *Proprium igitur hoc Christianorum veterum, qui ad exercitia pietatis cilicia è pilis contexta adhibuerunt*. ibid. *Fatemur non paucos è patribus dixisse austeri propositi, atque vt ipsi loquuntur* τῆς κατὰ θεὸν τελείας ἀσκήσεως *exempla fuisse edita ab Elia, & Iohanne*. ibid. *Monachi fuerunt antiqui Patres Antonius, Basilius, Paulus, Chrysostomus, & id genus alia Christianæ Religionis lumina fulgentissima*.

Eremitas non alio, quàm bestiarum loco habent ijdem hęretici. Sed à D. Chrysostomo vocantur ἄγγελοι ἐν ὄρεσιν, teste Rittersch. Comm. in Saluian. p. 593. quòd in montibus ac solitudinibus angelicam vitam agerent.

De voto Continentiæ. Caput XXIII.

CAluiniani omnia in vniuersum vota impugnant, sed præsertim illud, quo Deo promittitur perpetua continentia, quam tamen Veteres & doctrina & vsu probarunt. Conr. Rittersch. Comm. in Saluian. p. 375. *Non fuisse verò hoc olim nouum, vt coniuges post vnam alteramq; susceptam sobolem deinde mutuo consensu continentiam seruarent, cum aliunde discimus, tum ex Sidonio Apollina-*

linari.l.9. Epist.6. Casaub.ad Appar.Baron. nu.56. Exerc.1. *B. Mariam votum Virginitatis fecisse est Gregorius Nyssenus vetustissimus author homil.de natiuit. Domini. Augustinus de Virginit. & postea multi alij vrgent* Deiparæ *responsionem: Virum non cognosco. Quod nonnulli obijciunt, neque exemplum extitisse, neque præceptum, quod Mariam impelleret ad tale propositum suscipiendum, fortasse posset responderi verbis Chrysostomi, aduentante gratia oportebat multa existere signa vitæ secundum sublime propositum institutæ.* idem Exerc. 1. §.24. *Quid igitur in eo impietatis, si dicamus sanctam Virginem gratia quadam singulari à* Deo *ornatam* ὑψηλῆς πολιτείας *(sublimis propositi ex* D. *Chrysost.) post venturis hominibus exemplum præbuisse.* Christoph. Iustell. indic.in Can.Afric.*Virgines sacræ à parentibus, aut grauioribus fœminis custoditæ Can.4. Vt virgines sacræ, cum parentibus, à quibus custodiebantur, priuatæ fuerint, Episcopi vel presbyteri, vbi Episcopus absens est, prouidentiæ grauioribus fœminis commendentur.* ibid. *Consensu parentum, aut eorum ad quorum curam pertinent velandæ.*

De

De pœnis hæreticorum. Caput XXIV.

TOti in eo ſunt hæretici, vt dogmata ſua longè, latèq. diſſeminènt, & fautores acquirant indies, hinc aſſerunt fas eſſe debere vnicuique ſentire, & docere de religione, quod optimum viſum fuerit, neque animaduertendum in quenquam eò, quod Catholicam non frequentet Eccleſiam. Aliam fuiſſe mentem Antiquorum docent ipſimet Nouatores. Conr. Ritterſch. c. 2. p. 5. in Nouell. *Pœnæ hæreticorum erant vel Eccleſiaſticæ, vt depoſitio, vel ciuiles, vt relegatio. & c. 3. nu. 5. Notandum, quòd hæreticis niſi reſipiſcant, & ab inſania ſua, aliorumq. ſeductione deſiſtentes ad ſanctam Dei Eccleſiam recipiantur, auſteritatem legum, & pœnas Imperator comminatur &c. conuenticula ipſos habere prohibet ac domos, in quibus conueniant, ſuis dominis ademptas Eccleſiæ addicit.* Iuſtell. ad Can. 99. Concil. Afric. *Huc ſpectat reſcriptum Impp. Arcadij, Honorij, & Theodoſ. ad Diotimum Proconſulem Africæ l. 2. C. Th. de Relig. Edictum quod de vnitate per Africanas regiones clementia noſtra direxit, per diuerſa proponi volumus, vt omnibus innoteſcat, Dei omnipotentis vnam & veram fidem Catholicam, quam recta credulitas confi-*

confitetur eße retinendam. ibid. Aug. ep. 50. *Quicquid nomine Ecclesiarũ partis Donati possidebatur, Christiani Imperatores legibus Religiosis ad Catholicam transire iusserunt: & tract. 6. in Iohannem. leguntur leges manifestæ, vbi præceperunt Imperatores eos, qui propter Ecclesiæ Catholicæ communionem vsurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis auctorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere. Marcellinus in edicto, siue sententia contra Donatistas inter acta Concil. Carthag. Vniuersos ordinis viros, senioresq; omnium locorum huius edicti authoritate commoneo, quatenus memores legum, dignitatum, æstimationisq; salutis propriæ, Donatistarum conuenticula in omnibus Ciuitatibus, & locis prohibere contendant, ita vt Ecclesias, quas eis humanitate mea absque imperiali præcepto vsque ad diem sententiæ constat indultas, Catholicis tradere sine vlla dilatione festinent. Hanc sententiam cognitionis Marcellini consecutum est rescriptum Honorij ad Seleucum P.P. quo laicos pecuniarijs pœnis puniuit, clericis verò exilium irrogauit, illorumq. Ecclesias potestati Catholicæ vindicauit. l. 52. C. Th. de hæreticis: Clerici, Ministriq; eorum, ac perniciosissimi sacerdotales ablati de Africano solo, quod ritu sacrilego polluerunt in exilium viritim ad singulas quasque regiones sub idonea prosecutione mittantur: Ecclesiis eorum, vel con-*

uenticulis, prædijsque, si qua in eorum Ecclesias hæreticorum largitas praua retulit, proprietati potestatiq; Catholicæ (sicut iamdudum statuimus) vindicatis.

De precibus pro Defunctis. Caput XXV.

HAeretici petiati indicto bello, ficta sibi facilitate perueniendi ad regnum cœlorum ignem purgatorium impugnant, precesq; eleemosynas, ac alia Christianæ pietatis opera, quibus animæ piorum defunctorum subleuantur, tandemq; liberæ ad cœlum proficiscuntur nedum omittunt, sed vt impias respuunt. Quibus sufficit opponere id, quod Ecclesia semper fecit religiosè, quod ipsimet disertè exponunt sæpius. Conr. Rittersch. Comm. in Saluian. p. 464. *Solebant iam olim in Ecclesia Catholica pro omnibus hominibus non modò adhuc vitum degentibus, sed etiam corporum vinctione solutis orare, vt est apud Arnob. l. 4. aduers. Gentes propè finem, & S. Chrysost. non vno loco, necnon apud Iohan Damasc.* περὶ τῶν ἐν πίστει κεκοιμημένων. Casaub. Epist. ad Perr. p. 29. *Vetustissimam esse consuetudinem, vt in publicis Ecclesiæ precibus commemoratio fiat Defunctorum, vt quies illis petatur à Deo,*

à Deo, qui in pace Ecclesiæ sunt mortui, pauci hodie ignorant, nedum Serenissimus Rex negat. ib. *Non tantum sibi Rex sumit, vt veteris Ecclesiæ vsu probatum institutum ausit condemnare:* Augustana Confessio: *Scimus loqui Veteres de oratione pro mortuis, quam nos non prohibemus.* Calu.l.3. Inst.§.5: *Non negat ante mille & trecentos annos vsu receptum fuisse, vt precationes fierent pro defunctis.* Iustell.ad Can. 213. ad verba: *Eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.* Cypr.l.1.ep.9. *Neque enim ad altare Dei meretur nominari ne sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes, & ministros auocare voluit.* Augustinus ep. 137. *Nomen autem presbyteri propterea non ausus sum de numero collegarum eius vel supprimere, vel delere.* & paulò post: *Et nunc si vobis placet, vt nomen eius non recitetur. Illius etiam recitationis meminit Gelasius PP. ep. 8. ad Anastasium Imperatorem, de Acacio loquens, quo in sua perfidia & damnatione moriente, tam eius in Ecclesiastica recitatione non potest nomen ascribi, quàm externæ contagium non debet communicatiotionis admitti.* Epiph.l.1.hær.75. *postea verò de eo, quòd proferantur nomina vita defunctorum.* Lasicius in defens. Volani p. 146. *Patres supplicandum esse pro mortuis, & sacrificium esse offerendum senserunt.* Iustellus ad Can.41. African. *Defunctorum siue Episcoporum, siue cæterorum commendatio)* ad

hę verba notat: *Augustinus de verb. Apostol. serm. 32. & 34. hoc à patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis, qui in corporis, & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur, oretur.* & statim: *Cùm verò eorum commendandorum causa opera misericordiæ celebrantur.*

Purgatorium esse sacrificiaque, eleemosynas, & alia prodesse animabus defunctorum, probamus etiam ex apparitionibus animarum, quę asseruerunt se fuisse in purgatorio, petieruntq. sibi subueniri. Respondent Caluiniani eiusmodi apparitiones non alio loco habendas, quàm diabolicarum illusionum. Aliud verò fuisse iudicium Veterum hac de re testatur Herm. Rauensperg. in suo Florileg. p. 216. *Cum Augustino*, inquit, *dicimus aliquando fieri, vt Deus extraordinariè remittat aliquem in vitam. Nam quemadmodum Paulus potuit esse inter Angelos raptus in cœlum, ita vicissim animas extraordinariè redire posse ad homines.*

De inuocatione Sanctorum.
Caput XXVI.

HAretici licet concedant posse & debere viuentes pro viuentibus Deum deprecari, & se

se inuicem pro eiusmodi precibus interpellare, non tamen ferunt, vt in his terris degentes rogemus sanctos cum Christo gloriosè regnantes, vt Deum pro necessitatibus nostris orent, & beneficia à communi Domino impetrent. Negant autem hoc hęretici, pia & Catholica antiquitate refragante. Casaub. epist. ad Card. Perronium. *Reperiuntur, neque hoc Rex nescit in Patribts quarti seculi exempla inuocationis Sanctorum*. Magdeburgenses Cent. 3. c. 4. col. 83. *Videas in Doctorum huius seculi* (tertij nempe) *non obscura vestigia inuocationis Sanctorum*. Cent. 4. col. 295. Ponunt testimonia ferè omnium illius seculi, vt Athanasij, Basilij, Nazianzeni, Epiphanij, Efrem, Ambrosij, & Prudentij pro inuocatione Sanctorum. Lasicius in defens. Volani p. 146. *Patres sanctos mortuos inuocarunt*. Oecolampad. in oration. S. Chrysost. de Iuuent. & Maxim. *Sancti in cœlo non desinunt pro nobis intercedere. Quid mali si hoc petamus fieri? Id quod agit Chrysostomus in laudibus Cypriani*. Melanchthon ad Bellaium: *Deliberare docti possent an talis forma intercessionis constituenda esset in publico, quæ est in Veteribus Ecclesiæ orationibus, vbi fit mentio alicuius intercessionis*. Bucerus in cap. 8. Epist. ad Romanos. *Intellexerunt Sancti Patres, etiam Diuos, qui apud Christum viuunt pro nobis intercedere, & hoc pacto intercessionem, meritaq. eorum respici à*

Deo asseruerunt Camerar. l. de pijs Ecclesiæ precibus: *Pia affectio erga Sanctos, & votum communium precum non potest, vt opinor damnari, quod neque aduersetur doctrinæ cœlesti, & exempla vetustatis extent*. Socinus l. de natura Christi contra Volanum p. 230. *Non diffitetur Volanus cum contra Loiolitas disputat Athanasium, Hieronymum, Augustinum, Theodoretum inuocationem Sanctorum, vel dicto, vel facto approbasse*. Beza præfat. in Nouum Test. *Inualescebat eodem tempore mortuorum inuocatio, & stulta opinio cœlibatus, quos pudendos errores apertè defendit Hieronymus*.

De veneratione Reliquiarum. Caput XXVII.

TAntùm abest, vt hæretici reliquias Sanctorum venerentur, vt potiùs eas vbicunque repererint, conculcent, abijciant, & pessimis modis tractent, vt omnes norunt, qui historias horum temporum, prçsertim de rebus Gallicis legerunt. Abeunt hac impietate à sanctis moribus Veterum Christianorum, qui studiosè Sanctorum corpora, aut etiam membra, cineres, vestes, aliaq. conquirebant, conseruabant pretiosa supellectile, osculabantur, alijsq. modis venerabantur. Audiamus Ad-
uer-

uersarios ipsosmet de pietate Veterum testantes. Casaub. Exercit. 16. §. 104. *Testatur B. Augustinus terram sanctam de Ierosolymis allatam valuisse contra vexationem spirituum malignorum, & contra morbos. Hoc quia tantæ pietatis vir non vt ex incertis rumoribus acceptum, sed vt certò sibi compertum narrat, verum esse nullus dubito. Nec miror Hesperium terram illam reuerenter habuisse.* Ioseph. Scaliger. animad. in Euseb. p. 237. *Martyrium propriè est altare impositum martyris cineribus. Nam qui Martyres, Latinis initiò Confessores vocabantur. Postea discrimen constitutum est inter Martyres & Confessores. Ecclesia igitur cum altari cineribus alicuius Martyris superstructo dicebatur Martyrium, & Confessio, quod sumptum est ex Apocalypsi c. 6. quò allusit Hieronymus in Vigilantium: Ais enim vel in sinu Abrahæ, vel in loco refrigerij, vel subter Aram Dei, animas Apostolorum, & Martyrum consedisse. Vide Tertull. in Scorpia. c. 12. postea omnis Ecclesia titulo cuiusuis Sancti vocata est Martyrium. Hieronymi in Hilarione: Causam occultandi iuxta præceptum Antonij fuisse referentes, ne Pergamus, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam sancti corpore Martyrium fabricaret. Itaque Ecclesia vocata est Martyrium, quia* λειψάνων ἄνευ τῶν ἁγίων ναὸν καθιερῦν *non licebat. Can. 27. in Trullo: Item id præcipit* τῶν θυσιαστήριον

κατα-

καταστρέφεσθαι, ἐν ᾧ τό τε σῶμα, τό τε λείψανον ἀπόκειται μάρτυρος. 83. *Carthag.* Idem p. 234. *Oßa Andreæ Apostoli. Ex vrbe Patris has reliquias neceße est Constantinopolim traductas.* Conrad. Ritterſch. in Epiſt. l. 1. S. Iſidori Peliſiotę: *Notabilis locus de reliquijs Sanctorum illo æuo honoratis, & quidem non tantum à vulgo hominum, ſed etiam ab Imperatotoribus, qui & terræ & maris imperium obtinebant, quo, ait infra Ep. 5. l. 2. ad Piſcatoris ſepulchrum exoſculandorum oſſium cauſa ſe contuliſſe. Similia paſsim apud Chryſoſtomum. Sic Baſilius Magnus, S. Eulogius orat. 5. contra Nouatum in Eclogis Photij p. 889.*

De ſigno Crucis. Caput XXVIII.

Signum Crucis nunquam vſurpant hęretici, & Catholicos, quibus in vſu frequentiſſimo eſt, irrident quaſi ſuperſtitioſos. Quod verò Catholici huius temporis faciunt, illud ſemper in more Chriſtianorum paſſim fuit. Beza Ep. 8. *Crucis conſignatio vetuſtiſsima eſt. Mirificè à Chriſoſtomo quaſi quadam Religionis ſumma commendatur.* Epiſt. *11. Signi crucis olim aliquis fuit vſus.* Caſaub. Exerc. *13.* §. 53. *Narrat Epiphanius mulierem,*

rem, vbi videt pudicitiam ſuam in periculum eſſe adductam ſe ſignaſſe facto ſigno crucis, quòd primitiuæ Eccleſiæ fuit Symbolum fiduciæ, quam in Chriſti paſſione ponebant. Addit liberatam, fuiſſe, ἵνα δεῖξαι ὁ θεὸς τὰ αὐτοῦ θαυμάσια. ibid. *Scimus Veterem Eccleſiam, & in vitæ communi vſu, & in ritibus ſacris multum vſam eſſe venerabili illo ſigno, vt pia ceremonia.* Angli in Synodo Londinenſi an. 1603. *Honor & dignitas crucis nomini acquiſita, etiam & ſigno crucis, vel ipſa Apoſtolorum ætate (neque enim contrarium oſtendi poteſt) exiſtimationem peperit honorificam, adeò vt Chriſtiani haud multò poſt in cunctis actionibus ſuis eodem vti cœperint, eo ipſo palam & apertè teſtatum facientes etiam ad ſtuporem Iudæorũ ſe minimè ſibi pudori ducere, &c.* ibid. *Huius ſigni in Baptiſmo vſus in primæua Eccleſia receptus eſt vnanimi conſenſu, maximoq. omnium tam Græcorum, quàm Latinorum applauſu.* Ioſeph. Scaliger. in animadu. ad Euſeb. p. 109. *Origenes dixit, Tau, Samaritanorum ſimile eſſe cruci, aut* T, *latino, vel græco. verba ex Ezechiel. 19.* δὸς σημεῖον ἐπὶ τὰ μέτωπα τῶν ἀνδρῶν, *ibi Origenes: Aquila & Theodotioni* σημειώσεις, τὸ ταῦ ἐπὶ τὰ μέτωπα. ἑβραίων δέ τίς τῶν εἰς σωτῆρα πεπιστευκότων ἔλεγε τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα ἐμφερὲς ἔχειν τὸ ταῦ τῷ τοῦ σταυροῦ χαρακτῆρι. *Perſuaſit doctiſſimo Hieronymo in illum locum Expoſit. Et vt ad noſtra veniamus, antiquis Hebræorum litteris,*

teris, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani extrema Tau littera Crucis habet similitudinem, quæ in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inscriptione signatur. Tertullianus eadem verba exponens scilicet in Marcionem c.22. Ipsa est enim littera græcorum ταῦ nostra autem T *species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris apud veram & Catholicam Ierusalem.* Idem pag. 33. *Syriæ populis crucis signum maximo conspicientium terrore in orientali plaga apparuit in Chron. Casaub. ad 14. ann. Constant. idem gestum refertur. Id signum Christi apparuit Hierosolymis illo tempore.*

De cultu Imaginum, & templis. Caput XXIX.

SAcras imagines è templis vbicunque possunt, tollunt hæretici, easq. effringunt, cōburuntq. & tantum abest, vt cum Catholicis cultu & honore afficiant, vt Iconomochos Veteres imitati eo nomine Catholicos Idololatriæ postulent, quod eas colant, & prout decet venerentur. A quorum autem parte stet antiquitas Catholicorum ne an Iconomachorum docebit Aduersarios Conr. Ritterſc. qui transtulit synopsin Conciliorum, quam inseruit

ruit Comment.suis in Nouell.Iustiniani cap.1.p.11: *Concilium*, inquit, *septimum sanctum, & œcumenicum iterum Nicææ habitum fuit, Constantino Imperatore, & matre eius Irene (erat autem iste Constantinus filius Leontij Copronimi) octauo anno Imperij ipsorum, fuerunt autem in illo sancti Patres 867. in eo familiam duxere Adrianus Papa Romanus Tarasius Constantinopolitanus, Philitianus Alexandrinus, Theodoretus Antiochenus, Elias Hierosolymitanus. Conuenerunt autem aduersus Iconomachos, idest, Imaginum destructores, siue Christianorum accusatores. Hæc igitur sancta, œcumenica, & magna Synodus imaginum præfigurationes pariter cum venerando crucis signo Ecclesiam habere, & suo modo venerari tradidit. Porrò Ecclesia Dei cum ipsis Iconomachis etiam sanctorum accusatores auersatur, nõ minus eos, quàm Iconomachos abominans.*

Hinc patet quantum sit discrimen inter templa Catholicorum tam recentiorum, quàm Veterum, & domos, in quibus Caluiniani habent suas conciones. Nullæ nempe in his visuntur imagines, nulla altaria, quæ tamen Veterum pietas in templis extruxit, vt in illis tremendum illud sacrificium offerretur. De templis igitur noto ex aduersarijs sequentia testimonia. Ioseph. Scaliger animaduers. in Euseb.p.237. *Ecclesia igitur cum altari cineribus alicuius Martyris superstructo dicebatur Martyrium*

rium, & Confessio, &c. postea Ecclesia titulo cuiusuis Sancti vocata est Martyrium, quia absque reliquijs Sanctorum non licebat extruere templum. idem p. 235. *Anno 2376. Constantio Imp. Ecclesia maxima dedicatur. Socrat. l. 2. c. 43. Hinc dedicata est magna Ecclesia, quæ Sophia vocatur sub consulatu Constantij decimo, &c.* ib. *Vita Athanasii coniungit tempus Encæniorum huius Ecclesiæ, & annum quo Iulianus Cæsar est declaratus.* ibid. p. 230. *Antiochiæ dominicum aureum dedicatur. Phot. p. 772. Athanasius p. 687. Conuocant Synodum in Antiochia prætextu Encæniorum.*

Hæretici aiunt eos, qui confugiunt ad templa posse abstrahi & puniri à Magistratu. Aliud est visum Veteribus, vt colligere est ex Iustelli Notij ad Africana Concilia ad pag. *161.* vbi sic legimus: *Episcopi susceperunt legationem, vt profugientibus ad Ecclesiam quocunque reatu inuolutis legem de gloriosissimis principibus reuereantur, ne quis eos audeat abstrahere.* Ad quæ verba notat Iustellus p. 68. *Huc spectat Honorij Imperatoris rescriptum ad Sapidianum, Vicarium Africæ pro Ecclesia Africana l. 34. C. Th. de Episc. & Cler. Si Ecclesiæ venerabilis priuilegia cuiusquam fuerint, vel temeritate violata, vel dissimulaiione neglecta, commissum quinque librarum auri (sicuti etiam prius constitutum est) condemnatione plectatur.*

De

De diebus feſtis, & proceſsionibus. Caput XXX.

CAluiniani Puritani omnia feſta ſuſtulerunt præter diem dominicum, ipſum diem Natalem Domini obſeruare non dignantur. An impia hac negligentia imitentur Veteres dicant ipſi. Caſaub. Exerc. 2. §. 11. *Veriſſimum eſt Veterem Eccleſiam anniuerſario cultu celebraſſe diem aduentus Magorum*. Melanchthon ad Bellaium: *Poſſent retineri Sanctorum honores, quales fuerunt in Veteri Eccleſia. Nam ex Hieronymo, Ambroſio, Baſilio, Nazianzeno apparet dies feſtos Sanctorum celebratos fuiſſe*. Caſaub. exerc. 16. §. 111. *Hebdomadis magnæ ante Paſcha obſeruationem eſſe vetuſtiſſimam, nemo peritus inſtitutorum Eccleſiæ antiquæ poteſt ignorare. Ego ſanctiſſimam illam conſuetudinem, iam inde à temporibus Apoſtolicis, initium habuiſſe, aut non multò poſt, facilè crediderim. Patres Græci paſſim meminerunt, & vocant magnam ſeptimanam, & extant B. Chryſoſtomi, ac multorum aliorum homiliæ diebus habitæ huiut magnæ ſeptimanæ*. Fr. Iunius in indice in Codimum. *Ambulatio Imperatoris. Die feſto palmarum tempore ſupplicationis* p. 140. *Ramis & frondibus perſpergitur in feſto palmarum*. 134. *Annunciationis Euangeli-*

cæ vigilia p. 144. *Apostolorum templum*. 164. *& festum* 166.

Processiones, quas frequentant piè Catholici itidem exsibilant hæretici contra Veteres. Conr. Rittersch. in Nouell.part.1.c.5. *Litaniæ nihil aliud sunt, quàm preces publicæ siue solemnes orationes, quæ antiquitùs fiebant prælatis crucibus, quæ hodie processiones vocantur. Sancit Imperator, ne eas faciant laici sine Episcopis & Clericis. Secundo. Ne sanctæ Cruces, quæ ipsis præportantur, alibi reponantur, quàm in loco sacro.*

De sacramentorum necessitate, & cæremonijs. Caput XXXI.

HAeretici non verecundantur palam asserere Christianos ex Christianis gigni, neque conferri gratiam Christi per sacramenta, sed potius iam collatam tantummodò significari, & obsignari, qua quidem falsa opinione aduersantur Veteris pietatis Doctoribus, & Professoribus. Casaub. exerc. 16. §. 52. *Sententia Veterum Christianæ pietatis Antistitum fuit, qui ad Christianismum aspirarent, priusquam Sacramentorum essent participes, neque esse, neque dici posse Christianos, neque ad Ecclesiam pertinere. Aditum enim ad Ecclesiam*

via

via quidem ordinaria patere vnicum ex institutione Christi per Baptismum.

Hæretici vel Sacramenta Christianorum omninò sustulerunt, vel si quæ retinuerunt adeò nudè, & absque vllis ritibus celebrant, vt non sit mirum si à plebe seducta, absque vlla reuerentia suscipiantur. Quàm verò graues, quàm sancto apparatu instructi Veteres tractarint sanctissima mysteria testes sunt inimici. Beza epist. 8. *Totum illum apparatum, quo vetustissimi etiam illi Baptismum, & Cœnam Domini se exornare posse putarunt.* ibid. *Plerique ex vetustissimis illis Christianorum sacra occultanda censuerunt.* Casaub. exerc. 2. §. 11. *Appellatio* ἐπιφανίων *è ritibus Paganorum, vt alia multa pio proposito fuit in ecclesiasticam obseruationem deriuata.* idem exerc. 16. §. 43. p. 390. *Quod fecit Paulus in conuertendis Atheniensibus, id pios Doctores magno cum fructu fecisse res arguit, & quòd sic sumus obseruaturi manifestissimè ostendent.* p. 391. *Hanc Pauli prudentiam sanctam Antistites primos Religionis Christianæ sæpe esse imitatos facilè intelligent, qui antiquissimos pietatis nostræ ritus cum ijs comparabunt, qui priùs fuerunt apud Paganos.* Beza ep. 1. *Iam quod ad Ecclesiasticos ritus pontificios attinet, &c. quàm vetusta sint illa non moror.*

De necessitate, & effectu Baptismi. Caput XXXII.

CAluiniani negant necessarium esse sacramentum Baptismi infantibus ad consequendum regnum cœlorum, docentq. eos esse hæredes vitæ æternæ antequam baptizentur. Baptismum autem à laicis in casu necessitatis administratum baptismum esse negant. Qua quidem in sententia totam antiquitatem habent repugnantem. Doceo id ex ipsorum scriptis. Casaub. epist. ad Card. Perron. p.18. *Rex profitetur necessitatem Baptismi ex institutione diuina &c. Quod igitur de nascente olim Ecclesia Tertullianus dixit; Baptizare Episcopum, Presbyterum, Diaconum, postremò etiam laicis ius esse in extremo videlicet casu.* Idem exercit. 16. §. 52. *Passim igitur Patres Baptismum ad salutem docent esse necessarium ex ordinatione Domini. Augustinus l.1. de peccator. meritis & remission. c. 24. & locis alijs.* Calu.l.4.Instit.c.15.§.20. *Quòd multis ab hinc seculis, adeoque ab ipso Ecclesiæ exordio vsu receptum video, vt in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset.* ij dem hæretici Caluiniani non dubitant affirmare, Reprobos per Baptismum non regenerari, plurimosque infantes baptizari, qui tamen remissionem peccati origi-

originalis non consequantur, quos obeuntes in infantia baptizatos aiunt æternis supplicijs addici. Ab hac monstrosa opinione absuerunt Veteres, vt testatur H. Grotius in libell. disquisit. ad Pelagiana dogmata, vbi inter se opponit noua Caluinianorum, & Vetera Ecclesiæ dogmata. Inter illa ponit & istud, aitq. nouum esse dogma: *Infantes quosdam in infantia morientes baptizatos gehennæ supplicijs addici ob originis peccatum*; cui ipse opponit Veteris Ecclesiæ dogma ex Episcoporum Africanorum Epist. 90. inter opera S. Augustini: *Quicunque negat paruulos per Baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere æternam, anathema sit. Fulgentius de fide ad Petrum: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, paruulos qui nec propria voluntate credere, nec pœnitentiam pro peccato, quod originaliter trahunt, agere possunt, Sacramentum fidei, quod est sanctum Baptisma, quamdiu rationis eorum ætas capax esse non potest, sufficere ad salutem.*

Ijdem, quia existimant per Baptismum solùm significari, & obsignari remissionem peccatorum, non autem reuera conferri, docent nullam fuisse differentiam inter Baptismum Ioannis & Christi, nihilq. per hunc collatum fuisse & conferri, quod non præstiterit etiam ille, quem Præcursor Domini administrabat. Errant Caluiniani, & dum Catho-

licorum sententiam oppugnant, aduersantur S. Doctoribus veteris Ecclesiæ. Herm. Rauenspergerus Florileg. Theolog. p. 179. vbi recitauit dogma Catholicorum subiungit: *Pontificij* (sic vocat Catholicos) *sequuntur Augustinum, & quosdam alios è Patribus.*

De ceremonijs Baptismi, Exorcismo nempe, Scrutinio, cæterisque. Caput XXXIIII.

Caluiniani Baptismum simplicissimè administrant, pios verò ritus iam olim receptos, & mysterij plenos respuunt, hac quoque in re hostes antiquæ consuetudinis, de qua testatur Beza epist. 8. *Mille ritus Baptismo Cathecumenorum adiecerunt Veteres, placuit inungi, exorcismis, & sufflationibus eripi ex Satanæ potestate, cereos accensos præberi.* Fr. Iunius in Codinum p. 251. *Ad lumina solobant* νεοφώτιστοι *baptizari.* νεοφωτίστους *sic interpretamur ex græcorum vsu, quasi recens illuminatos illustratione Euangelij gloriæ Christi. Nam ad hanc rem significandam quando baptizabantur illi, accendebantur luminaria, vt signa essent spiritualis lucis Christiano homini prælucentis, & in eo accensa; vt luceant bona opera eius coram hominibus.*

Atque

Atque hic ritus ordinariè quidem ad Baptiſmum ſacrum fuit obſeruatus; præterea verò anniuerſariè in ſingularibus quibuſdam diebus feſtis per lampadarium. Beza epiſt.8. *Chriſma & Exorciſmus ſunt vetuſta*. ibid. *Interregationem, ſiue ſcrutinium in Epiſtola quadam tuetur Auguſtinus*.

De Confirmatione, & Chriſmate. Caput XXXIV.

CONfirmationem non aliter admittunt hæretici, quàm vt ſit inſtructio Catechetica, & examen puerorum, qui iam ad ætatem, inſtructionis capacem peruenerunt: Inunctionem verò, totamq. illam actionem Catholicorum reijciunt, Sacramentumq. eſſe negant. Quid verò in veteri Eccleſia fuerit in vſu ſcribunt ipſi. Chriſtoph. Iuſtell. indice in Codicem Canonum Africanorum: *Chriſma & Chriſmæ confectio p. 66. In præteritis Concilijs ſtatutum meminimus, vt Chriſma à presbyteris non fiat, &c. ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, Chriſmæ confectio non fiat à presbyteris*. Ritterſch. Comment.in Saluianum p.88.*Solebat autem Chriſma ſeruari in ampullis, vt colligere eſt ex Optato Mileuitano*. Caſaub. Exerc. 16. §. 33. *Conficere oleum nempe in vſum Chriſmatis apud Optatum*.

§.45.p.409. *Baptiſmo adiungebatur vnctio, quam etiam ſacramenti nomine Patres appellant.* Caſaub. Exercit. 16. §. 30. *In Veteri Eccleſia tempore Dionyſii Areopagitæ, qui ſcriptor antiquiſſimus, Baptiſmum & Chriſma ſequebatur Euchariſtia. Nicolaus Cabaſila ſcripſit de diuiniſſimo Chriſmate, & numerat inter Sacramenta, quæ illi ſunt, vt Ambroſio, Cyrillo, Hieroſolymitano, & pleriſque Veterum Baptiſmus, Chriſma, ſiue Confirmatio.*

De reali præſentia Corporis Chriſti in SS. Euchariſtia, & Tranſubſtantiatione. Caput XXXV.

CVm omnia dogmata, quæ Caluiniani tuentur aduerſus fidem Catholicam, impia ſint, illud longè impiiſſimum eſt, quo negant corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe realiter in SS. Euchariſtia, & omnibus ſumentibus verè diſtribui. Quod quidem dogma, vt repugnat expreſſis Chriſti verbis, ita Eccleſia Catholica ſemper credidit, id, quod etiamnum hodie S. Eccleſia Romana profitetur, Berengariumq. contrarium ſentientem, hæreticum declarauit, & ad palinodiam adduxit. De Veterum ſenſu ipſi Aduerſarij teſtantur. Iſaacus Caſaub. in epiſt. ad Card. Perronium fatetur verum eſſe,

esse, quod Card. scripsit in epistola ad Iacobum, magnæ Britanniæ Regem, nempe Ecclesiam Catholicam semper docuisse realem præsentiam corporis & sanguinis Domini in SS. Eucharistia. Philipp. Melanchthon in Apolog. Confess. August. *Comperimus non tantùm Romanam Ecclesiam affirmare corporalem præsentiam corporis Christi, sed idem & nunc sentire, & olim sensisse græcam Ecclesiam. Id enim testatur Canon Missæ apud illos, in quo apertè orat sacerdos, vt mutato pane ipsum corpus Christi fiat. & Vulgarius diserte dicit, panem, non tantum figuram esse, sed verè in carnem mutari.* Ibid. post recitatam Cyrilli sententiam: *Hæc recitaui, vt perspicerent lectores nos defendere sententiam in tota Ecclesia receptam.*

Caluiniani vt impugnent realem præsentiam, corporis & sanguinis Christi in SS. Eucharistia, docent eadem fuisse sacramenta Veteris Testamenti, quæ sunt Noui. Hoc probare nituntur ex epist. *1*. ad Corinth. c. 10. vbi D. Paulus ait, Patres Veteris Testamenti comedisse eandem escam spiritualem. sed locum illum longè aliter interpretati sunt SS. Patres, teste Zanchio l. 2. Miscellan. p. 136. *Locum illum Cor.* 10. *est interpretatus Chrysostomus, & aliquot alij nimirum quod Israelitæ eandem scilicet inter se, & non nobiscum spiritualem escam, id est, manna comederunt, Theodoretus, Photius.*

Ijdem Caluiniani, vt negent eandem realem præſentiam adducunt verba Chriſti Iohan. 6. *Caro non prodeſt quicquam, ſpiritus eſt qui viuificat*, vnde colligunt corporalem manducationem corporis Chriſti nihil prodeſſe, atque adeò nõ fuiſſe à Chriſto inſtitutam. Locum verò illum ita interpretantur Sancti Patres, vt ipſorum errori nihil faueat. Beza epiſt. 5. *Si ſimpliciter, & ſine diſtinctione exiſtimas nihil prodeſſe, conuelleris ipſius Chriſti teſtimonio, qui carnis ſuæ & ſanguinis ſui perceptionem toties eodem loco inculcat. Capernaitæ quoniam in Chriſto nihil amplius, quàm in cæteris hominibus ſpectabant, ideò monendi fuerant ſpiritualem ſuccum ex ea carne deriuari. Hanc autem eſſe Chriſti ſententiam totus ille locus probat, & omnes ad vnum interpretes Græci & Latini docent.*

Eandem realem præſentiam, vt oppugnent hæretici negant fieri poſſe, vt vnum corpus ſimul ſit in pluribus locis. Nos verò, vt inueniamus fieri id poſſe, dicimus plura corpora poſſe eſſe ſimul vno in loco, vnde colligimus poſſe vnum corpus eſse in pluribus locis. Non enim minus videtur hoc repugnare, quàm illud, quod tria exempla Scripturę docent, de quibus ſcribit Ritterſch. Comment. in S. Iſidorum Peluſiotam epiſt. 404. ad verba: *Signato ſepulchro facta eſt reſurrectio: Eadem*, inquit, *eſt multorum Veterum Eccleſiæ tam Græcæ, quàm Latinæ*

doctorum

doctorum opinio, Christum sicut clauso & integro virginali vtero Mariæ natum esse, ita & obsignatum & clausum sepulchrum resurgendo, & per clausas fores ad discipulos ingrediendo miraculosè penetrasse suo corpore, in qua & hìc est Isidorus noster.

Dogma de Transsubstantiatione, & mutatione panis & vini in sanguinem Domini pleriq; hęretici huius temporis aiunt esse recens dogma, & primum constitutum à Concilio Lateranensi decimotertio seculo à Christi natiuitate. Quàm verò splendidum sit hoc mendacium, docent vel inuiti ipsi Aduersarij. Philipp. Melanchthon epist. ad Mycon. profert testimonia Cypriani, Chrysostomi, Ambrosij, & Theophilacti, & ex Ambrosio ita concludit: *Hæc tam longa recitatio exemplorum ostendit authorem sensisse panem non tantùm esse signum, sed naturam panis mutari.* Valent. Erithræus in suis tabulis Confess. August. *Ad hæc addita fuerunt testimonia Patrum, non quòd propterea approbetur Transubstantiatio, sed vt omnes viderent nos nequaquam dogma aliquod nouum defendere, sed receptam à veteri, puriorią. Ecclesia sententiam de mystica præsentia corporis & sanguinis Domini constanter tueri.*

Ijdem hæretici accusant Catholicos, quòd doceant vi verborum Christi fieri mutationem substantiæ panis & vini in corpus & sangninem Domini.

mini. Sed si accusandi sunt Catholici, accusandi erunt etiam Sancti Patres, qui idem de efficacia verborum Christi tradiderunt. Brentius in Catechismo probat cum Chrysostomo: *Semel dictum verbum à Christo non euolasse vacuum, sed quotidie in propositis ad cœnam Dominicam pane & vino retinere, & exercere potentiam suam sicut sermo Domini: Crescite & multiplicamini.*

De Eucharistia percipienda à Ieiunis, de Communione sub vtraque specie, eleuatione, & adoratione hostię, & Eucharistia deferenda ægrotis. Caput XXXVI.

HAeretici non multùm putant referre ieiunus ne quis sumat Eucharistiam, aut non ieiunus. At Iustellus citat Canonem Concil. Afric. 41. vbi præcipitur: *Sacramenta nonnisi à ieiunis celebrentur:* Ad quę verba annotat: *Id olim Chrysostomo obiectum, quòd ad communionem non ieiunos recepisset, vt ipsemet tradit ad Cyriacum Episcopum: Multa quidem aduersum me confinxerunt, & dixerunt, quòd ad communionem non ieiunos receperim.*

Ijdem

Ijdem hęretici neceſſarium putant, vt laici ſub vtraque ſpecie, panis ſcilicet & vini Euchariſtiam percipiant. Quamuis autem Eccleſia olim vt plurimum ſub vtraque ſpecie adminiſtrauerit Euchariſtiam, non tamen exiſtimauit id eſſe neceſſarium, imò plurima occurrunt exempla antiquorum, qui ſub vna tantùm ſpecie ſacramentum hoc perceperunt. Hamelmannus in l. de Traditionibus fatetur Tertullianum, atque alios primos patres habuiſſe ex traditione, vt priuatim in domibus olim ederent Euchariſtiam. Vnde colligo ex confeſſione Aduerſariorum non ſemper conſueuiſſe veteres Chriſtianos ſumere Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie. Caſaub. p. 349. Exerc. 16. §. 21. *Bibite ex hoc omnes: Præceptum hoc primitiua Eccleſia ſemper ſeruauit, niſi fortè extremæ neceſſitatis caſus aliquis interueniret*. Falſum quidem eſt, quod innuit Caſaub. Eccleſiã ſemper morẽ ſeruaſſe dandi Euchariſtiam ſub vtraq; ſpecie, quaſi hoc eſſet præceptũ à Chriſto, interim accipimus quod concedit, non ſemper porrectam Euchariſtiã ſub vtraque ſpecie.

Quandoquidem hæretici negant realiter contineri in Sanctiſſima Euchariſtia corpus & ſanguinem Domini, non eſt mirum ſi non poſſunt ferre hoſtiam conſecratam eleuari, eleuatamque adorari. De more Veteris Eccleſię teſtatur Caſaub. exerc. 16. §. 33. p. 372. *Quærunt viri eruditi*

quid

quid ſit ἀναδεῖξαι in Liturgia Baſilij. Quidam referunt ad panis conſecrati eleuationem, cum populo oſtenditur. Græci in eius ritus mentione κυφισμὸν eleuationem ὕψωσιν, ἀνύψωσιν appellant, vt Damaſcenus, Maximus, Anaſtaſius Sinaita, & quidem ἀναδεικνύειν non malè poteſt exponi oſtendere, vel etiam attollendo oſtendere.

Caluiniani Euchariſtiam nolunt adminiſtrari alibi, quàm publico in loco, in templo ſcilicet, ęgrotis verò & moribundis non patiuntur deferri contra conſuetudinem Veteris Eccleſię, de qua ſcribunt ipſi. Caſaub. epiſt. ad Card. Perron. *Eccleſia Anglicana morientibus hoc viaticum, vt appellant Patres Concilij Nicæni, & tota Antiquitas adminiſtrat.* Idem exerc. 16. §. 26. *Scimus Euchariſtiam à Græcis Patribus non raro dictam δῶρον ἐξιτήριον, id eſt, donum diſceſſus, quia diſcedentibus ex hac vita communicabatur.* Idem §. 2. p. 415. *Cœna quoque domini nuncupatur viaticum, & reſpectu vitæ huius, ad quam piè tranſigendam, magnum eſt inſtrumentum, & reſpectu mortis, quia eſt via ad futuram vitam. Canone Concilij Nicæni* 13. *Si quis diſcedat è vita, non priuetur viatico dominico. Paſchaſius cap. 19. de corpore, & ſanguine Domini, vocat, Viaticum huius ſacramenti.* Iuſtellus ad p. 12. Codicis Canonum Eccleſ. vniuerſ. *in moribundis viaticum appellatur, quòd abeuntibus ex hac*

vita,

vita, & ad Deum cogitantibus, ac velut iter instituentibus ea detur velut pro subsidio viæ. Sic in Concilio Carthag. 4. Can. 78. & in epist. 3. Sixti P. Q. tom. 3. Concilior. Bassus à Synodo condemnatus est, ita tamen vt in vltima die viaticum ei non denegetur. Synes. epist. 67. ad Theoph. Alexandr. Episcopum. de Lamponiano quodam excommunicato loquens. Tantum mihi sumpsi si accederet Lamponiano mors, quòd permiserim omnibus, qui tum aderant Presbyteris ei communionem impertire.

De sacrificio Missæ, & aqua miscenda vino. Caput XXXVII.

HAeretici, certissima Satanę mancipia, hic in primis impietatem suam exerunt, & in Deum optimum ingratitudinem, dum quod sacrificium Christus instituit ad placandum Deum, & virtute mortis suę impetrãdũ omnis generis beneficia à Creatore, hoc furiosè impugnant, & quod est compendium pietatis, hoc velut iniquitatis epitomen reijciunt. Vtinam verò tandem à tam nefaria impietate resipiscant, & cum tota Ecclesia sacrificium acceptissimum Deo offerant. Quid vetus Ecclesia sẽserit de sacrificio hoc docet Casaub. p. 28. epist. ad Cardinalem Perron. Nam cùm Cardina-

dinalis docuisset sacrificium Missæ iuxta sentẽtiam Patrum esse vnicum illud, quod successisset in locum Mosaicorum, respondet Casaub. *Veteris Ecclesiæ Patres sacrificium in religione Christiana vnum agnoscunt, quod in locum successit omnium legis Mosaicæ sacrificiorum, neque ignorat Rex, neque negat*. idem exerc. 16. §. 58. p. 420. *Inuentum hoc nomen Missa, circa finem tertij seculi, vel paulò ante. Quod vocabulum non vno modo vsurpatum reperitur. Ambros. epist. 13. ad Marcell. sororem: Ego mansi in munere, Missam facere cœpi, dum offero, raptum cognoui Castulum. Hic sine dubio Missa est liturgia ad S. Eucharistiam, quod ostendit verbum offero, & alia quæ sequuntur, &c. Habentur & apud eundem duæ precationes præparantes ad Missam, in quibus Missa est Cœna Domini*. ibid. *legitur aliquando apud Antiquos audire Missam. Ambros. serm. 34. Sic locuti sunt & Græci æquales Ambrosio, aut etiam priores. Euseb. l. 7. c. 9. histor. eccles. audire* εὐχαριστίαν. Polanus in Symphon. Catholica. *Patres vocant Eucharistiam sacrificium*.

Ijdem hæretici negant miscendam aquam vino, quod offertur in Eucharistia. Repugnat id praxi Veteris Ecclesię. Iustellus ad Canonem 37. Concil. Afric. ad verba: *Panis & vinum aqua mixtum, &c. Iustinus Martyr in Apolog. 2. ei, qui præpositus est*

panis

panis offertur, & poculum aqua & vino temperatum. ibid. *Diaconi dant percipiendum panem, vinum, & aquam. Atque hic cibus apud nos Eucharistia nominatur.*

De Pœnitentia, Confeſsione, & Satiſfactione. Caput XXXVIII.

HVius temporis hęretici Pœnitentiam negant eſſe ſecundam poſt Baptiſmum tabulam, negant confeſſionem peccatorum faciendam Presbyteris, negant ſatisfaciendum pro peccatis admiſſis. Quàm pulchrè ſcilicet hac negatione cum veteribus conſpirent, diſcant ex ſuis authoribus. Conr. Ritterſch. Comm. in Saluianum de Auarit. *Greg. Nazianz. orat. 40. in S. Baptiſmum. p. 461. pœnitentiam ſecundam purgationem vocat. purgationem peccatorum ſcilicet poſt Baptiſmum admiſſorum. p.* 488. *S. Patres pœnitentiam vocant tabulam, qua nixi ex naufragio peccatorum ſalui enatemus*. Caluin. contra Pariſienſ. art. 3. *Confitendi morem non nego vetuſtiſſimum eſſe*. Saluianus ep. 4. *Tam longum lugendi tempus imponitur*. ad hęc verba Ritterſch. ita comment. p. 377. *Hoc dicit ex more priſca Eccleſiæ, quo ſatisfactiones inungi ſolebant ijs, qui peccarant ad conſeruandum publicæ diſciplinæ vigo-*

vigorem. Satisfactionum istarum crebra fit mentio apud Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, & alios. Idem p. 407. *More veteris Ecclesiæ duo ista (Exomologesin, & Satisfactionem) coniungit, vt & Tertullianus, & Cyprianus, & Lactantius, alijq; in pœnitentiæ mentione ijsdem vocabulis vtuntur.*

De prouidentia Dei circa peccata. Caput XXXIX.

Horribilis est doctrina Caluinianorum, qua Deum optimum aiunt in hunc finem creare homines, vt peccent, eosq. ad scelera impellere. Negant quidem illi se constituere Deum authorem peccati, sed verba ipsorum, quibus prouidentiam Dei circa peccata describunt, contrarium clamant. Tam horribili doctrinę vniuersa antiquitas refragatur. Zanch. Miscell. l. 2. p. 228. *Reuera nemo prædestinatus est ad peccandum propriè loquendo, licet, quisque ad ea facienda, quæ facit, destinatus sit, nempe quatenus opera sunt, non autem quatenus sunt peccatum, & hæc fuit mens Patrum.* ibid. *Cæterùm viderunt Patres, si absolutè dixissent impios ideò peccare, quia fuerint prædestinati ad peccandum, homines impios in Deum causam reiecturos fuisse. Ideo continuerunt se ab eiusmodi locutionibus.* Hugo Gro-

Grotius in sua disquisit. ad Pelagiana dogmata. *Nouum*, inquit, *dogma: Adamum ad primum peccatum decreto Dei efficaci prædestinatum & impulsum: sic & cæteros ad peccata destinari, constringi, necessitatemq. peccandi eis imponi*. Cui dogmati opponit ipse sententiam Veteris Ecclesię. *Eusebius præpar. Euangel. l. 6. c. 5. impius profectò iudicabitur, imò verò pessimus omnium, qui à creatore vniuersi alios ad adulteria, alios ad rapinas, alios ad vitia impelli arbitretur: vnde sequitur, aut hæc peccata non esse, aut peccandi causam ad creatorem referri. August. in Psalm. 9. Directè eunt in Deum, qui dicunt quando peccant: Si Deus vellet non peccarem: Deus hoc voluit. l. 3. de libero arbitrio: Deus neminem ad peccandum cogens, præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt. Prosper ad Obiect.* Gallorum. 1. *ad peccandum neminem Deus cogit. Ad septimam, & ad decimamquartam & sententia ad obiect. Gall. 1. Quisquis ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate homines in peccata compulsos cogi dicit ad mortem, non est Catholicus. Ad sextam: Qui dicit, quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed siue ad bonum, siue ad malum prædestinatio Dei in hominibus operetur, non est Catholicus. Et super decimaquarta, ad obiect. Vincentij decimam: Detestanda, & abominanda opinio, quæ, Deum cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit autho-*

authorem. Ad decimamtertiam, Deus etsi ex æterna præscientia præcognitum habet, quid vniuscuiusque moribus retributurus sit, nemini tamen per hoc, quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi. Author l. de vocatione Gentium: Neque ex eo, quod falli sapientia diuina non potuit, necessitate peccandi vrgebatur facinus voluntatis. Arausic. Synod. ann. 525: Aliquos ad malum diuina potestate prædestinatos esse non solùm non credimus, sed etiam si qui sint, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione anathema dicimus.

In controuersia de peccato originali insignis est error Caluini, & discipulorum eius, dum docent concupiscentiam, peccati originalis effectum, remanere in homine, tanquam peccatum, etiamsi quis ei non consentiat. Quę opinio abhorret à sensu veteris *Ecclesię*, vel ipso Caluino teste, l. 3. Instit. c. 3. §. 10. *Ab vno Augustino*, inquit, *sumant Lectores, si quid de sensu antiquitatis habere volunt. Porrò inter illum & nos hoc discriminis videri potest, quòd ipse morbum concupiscentiæ tunc demum fieri docet, cum appetitionibus cedit voluntas; nos autem illud ipsum pro peccato habemus, quo aliquando omninò cupiditate contra legem Dei homo titillatur, illam ipsam cupiditatem, quæ eiusmodi cupiditates generat, asserimus esse peccatum.*

De

De vniuersalitate gratiæ diuinæ. Caput XL.

CAluiniani opinantur Deum tantũmodo prædestinatis conferre gratiam Dei, qua possint salui fieri, maximæ verò hominum parti ex mera sua voluntate nolle dare gratiam, quę ad fidem & conuersionem est necessaria, eosq. omnes, qui damnandi erunt, diuino decreto relinqui in lapsu Adę. Huic dogmati nouo opponit H. Grotius lib. iam adducto Veteris Ecclesiæ dogma: *Synodus Arelatensis: Anathema illi, qui per Dei præscientiam in mortem hominem deprimi dixerit. August. lib. ad Simplicianum: Noluit ergò Esau, & non cucurrit: sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset, &c. Episcopi Afri in Sardinia exules epistola Synodica: Esau sacramento quidem circumcisionis octauo die secundum tenorem diuinæ constitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit. Prosper ad Gallorum cap. 11. sed relapsum ad infidelitatem, & impios mores, qui negat originali peccato fuisse purgatum, tam falsa opinatur, quàm qui eundem asserit non æterna morte esse damnandum. Qui enim recedit à Christo, & alienus à Gratia, finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in id, quod remissum est, recidit, nec in originali peccato*

 damna-

damnabitur, &c sententia super cap. 11. Qui dicit, quòd ab his, qui non sunt prædestinati, non auferat percepta Baptismi gratia originale peccatum, non est Catholicus.

De vniuersalitate Redemptionis Christi. Caput XLI.

CAluiniani docent Christum tantũmodo pro parte quadam hominum esse mortuum. Aliud senserunt Veteres. Saluianus contra Auaritiam p. 52. *Christus sicut pro omnibus passus est, sic pro singulis*. Rittersch. in Comment. pag. 460. *Hic quoque locus probè notandus est aduersus eos, qui hoc negant*. Kimedonc. c. 11. de Redempt. *Veteres adbibuerunt distinctionem sufficientiæ, & efficaciæ. Aquinas in Apocalyps. c. 5. Anselm. l. 2. cur Deus homo. c. 14. Leo Papa epist. 83. & 97. Basil. in Psalm. 48. Chrysost. & Theophylactus, August. tom. 7. ad articulos sibi falsò impositos*. H. Grot. in l. disquisit. ad Pelag. dogmata: *Pro omnibus autem mortuum esse Christum excluso nemine, quo Massilienses tanquam confesso vtuntur, constanter creditum, traditumque ab omnibus illis, qui ante Pelagij tempora pietatis, atque eruditionis famam habuerunt. Quod quia testimonijs Irenæi, Clementis, Origenis, Macarij,*

Eusebij,

Eusebij, Athanasii, Cyrilli, Hieronymi, Optati, Gregorij Nazianzeni, Ambrosii, Andreæ Cæsariensis, Chrysostomi, atque aliorum probarunt alij, labori id ipsum probandi supersedebo. Neque hoc negauit Augustinus in Psalm. 95. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid? nisi totius crbis? Neque Prosper ad Gallos: Cum itaque rectissimè dicatur Saluator pro totius mundi redemptione crucifixus, propter veram naturæ humanæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem, potest tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipsius profuit. & ibid. Redemptor mundi dedit pro mundo sanguinem suum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt. ibid. in sent. ad cap. Qui dicit, quòd non pro totius mundi redemptione Saluator sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad infidelium respicit partem, cùm sanguis Domini nostri Iesu Christi pretium totius mundi sit, à quo pretio extranei sunt, qui aut delectati captiuitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad eandem sunt seruitutem reuersi.

De gratia Dei, & libero arbitrio. Caput XLII.

CAluinianorum dogma est hominem non esse liberi arbitrij, & si destituatur gratia Dei necess-

necessariò benè agere, Deiq. operationem ad conuersionem eiusmodi esse, vt in hominis potestate non sit conuerti, vel non conuerti: Aliud sensit vetus Ecclesia. Hug. Grotius in disquisit. ad Pelag. dogm. citat ista: *Synodus Arelatensis: Anathema illi, qui dixerit, eum qui periit non accepisse, vt saluus esse posset. Scriptor de vocat. Gent. l. II. c. 26. Gratiam ita credimus atque experimur potentem, vt nullo modo arbitremur esse violentam. & cap. 28. Qui nondum crediderunt, iuuantur, vt credant.* Conr. Ritterſch. in l. 2. ep. 2. S. Isidori: *Quod ad gratiam diuinam oporteat accedere industriam humanam, perpetua est vox Scripturæ sacræ, cum qua Isidorus hic, & ep. 61. & 242. & l. 4. ep. 13. & 51. consentit, nec aliter alij veteres Ecclesiæ Doctores, ex quibus Leo Magnus serm. 2. de Epiphan. & serm. 5. de eadem solemnitate. Possem plura ex Chrysost. & Macar. homil. comportare. Idem in l. 2. epist. 16. Verè homo animal facilè mutabile olim dictus est. Et fit mutatio in vtranque partem. Causa est arbitrij libertas, & quod (Irenæo quoque teste, vt Isidorum nostrum omittam) Deus nemini vim faciat.* Erasm. Roterodamus Diatribam scripsit aduersus Lutherum pro libertate arbitrij, quam tuetur consensu Antiquorum, dum expendere iubet lectorem, *vtrum plus tribuendum sit tot eruditorum, tot orthodoxorum, tot Sanctorum, tot Martyrum, tot ve-*

terum,

terum ac recentium Theologorum, & *Summorum Pontificum in Orbe Christiano præiudicijs, quàm vnius aut alterius priuato iuditio*, additq; *incredibile esse, vt Deus tot seculis errorem Ecclesiæ totius dissimularit*. Magdeburg.cent.5. col.500. *Doctores liberum arbitrium etiam in rebus spiritualibus in ipsa conuersione statuunt*.

De iustificatione nonnulla. Caput XLIII.

VErbum iustificari, aiunt hęretici in scripturis accipi solùm pro iustum censeri, & declarari. Aliter autem exposuerunt Patres, teste Chemnit.in Exam. p. *1*. *Non mouemus litem quomodo iustificationem accipiant Patres*. ibid. *Non ignoro Patres aliter loqui*. Idem de iustific.cap. 1.num. 3. *Patres discesserunt à propria, Euangelica, & Apostolica significatione vocabulorum, per quæ Spiritus sanctus doctrinam huius loci in scriptura patefecit, vt sunt iustificatio, iustitia, iustus*.

Inter legem & Euangelium, siue inter vetus & Nouum testamentum hoc statuunt discrimen hæretici, vt in illo promiserit Deus vitam æternam sub conditione operum, in isto verò absque eiusmodi conditione. Contrariæ sententiæ fuerunt veteres.

Tantùm enim abeſt, vt hoc diſcrimen conſtitue-rent, vt potius doceant, maiorem perfectionem à nobis exigi, qui ſub Euangelio viuimus. Saluianus contr. Auarit. *Aliud vetere, aliud noua lege præceptum*. Ritterſch. p. 454. in Comment. *Nouam legem vocat doctrinam Euangelij, quæ multò eſt maioris perfectionis, quàm doctrina legis veteris, id manifeſtè apparet ex concionibus Chriſti in monte habitis*. Caſaub. exerc. 1. num. 56. §. 24. *Conſentiunt Patres noſtram hodie conditionem, qui ſub lege gratiæ viuimus, longè diuerſam eſſe ab illorum conditione; qui ſub lege Moſayca vixerunt. Illos enim vix prima elementa pietatis edoctos ad multa præſtanda non fuiſſe adſtrictos, quæ à nobis in hac plena luce iure exiguntur. Iren. l. 4. c. 47. Tertull. de pudicit. c. 6. Aug. de ſerm. Domini. c. 1. ſupra omnes eximius & aſſiduus in hac admonitione. Chryſoſtomus in Gen. homil. 66. in 9. Pſalm. in Gen. hom. 4. & in Iohan. 14. l. de virginit. c. 30. & 44. & 83.*

Ijdem hæretici aſſerunt prius iuſtificari hominem, quàm reſipiſcat. Hoc certè abhorret à doctrina Veterum. Sibrandi Caluiniſtæ verba ſunt l. contr. error. Vorſtij err. 29. p. 307. *Quod Vorſtius facit impium priùs reſipiſcere, quàm iuſtificari falſum eſt.* Errorem hunc vt refellat Vorſtius in l. ſcholiorum ad l. Sibrandi p. 191. *præter Patres, qui magno numero contra te hic produci poſſent, etiam Neo-*

terici

terici non pauci hic tibi aduersantur.

Ijdem hęretici docent per fidem solam iustificari hominem, eamq. ad consequendam salutem sufficere. Non ita senserunt veteres. Hedio ad Bellaium: *Chrysostomus sæpe dixit fidem non esse satis ad salutem, & dixit vir sanctus, vt fidelis, & prudens dispensator.* Magdeburg.cent.5:col.506.aiunt. *Nimium hæc ætas bonis hominum operibus ascripsit, id quòd ex deprauato articulo Iustificationis emanat.* Censent autem ipsi deprauatum fuisse articulum de iustificatione, quia scilicet non docent S. Patres hominem fide sola iustificari.

Qua in re constituant iustificationem hominis Caluinistæ docet Sibrandus l.errorū Vorstij err.79. p. 637. *omnes Theologi (*Caluinistæ*) in eo consentiunt; quòd hæc imputata iustitia sit subiectiue in Christo, in nobis tantum imputatiuè,* Cui respondet Vorst. p.208. in libr. Scholiorum, *Patres saltem hic excipere debebas.*

Negant etiam hęretici iustitiam hominis sitam esse in qualitate inhærente. sed contradicunt D. Augustino teste Caluino l. 3. instit. c. 11.§.15. *Ac ne Augustini,* inquit, *quidem sententia per omnia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitæ nouitatem regeneramur per spiritum.*

Ijdem hęretici Caluiniani negant bona opera es-

ſe cauſam meritoriam noſtræ ſalutis, & nomen meriti ferre non poſſunt. Refragantur hac in re Veteribus. Conr. Ritterſch. p.450. Comm. in Saluiani contr. Auar. S. *Cyprianus, Saluianus, & alij SS. Patres ſatisfactionem, & opera bona vrgent, & virtutem atque efficaciam eleemoſynæ, ieiunijs, & orationis tantopere cõmendant.* Magdeburg. cent. 5. col. 506. *Nimium hæc ætas bonis hominum operibus adſcripſit, id quod ex deprauato articulo iuſtificationis emanat,* & ſtatim citant omnium veterum illius ſeculi etiam Auguſtini multa teſtimonia, quòd opera ſint meritoria.

Non patiuntur ijdem hæretici nos vllo modo collocare fiduciam in bonis operibus. Alia eſt ſententia Veterum. Conr. Ritterſch. comm. in Saluian. de Auar. p. 484. *Ne quem offendat, quod Saluianus in iudicio Dei nullum aliud relinquat ſolatium* (præter illud quod capitur ex bonis operibus) *neue quis hoc cauilletur ſciendum nequaquam per talia dicta excludi meritum Chriſti* 2. Petr. 1. & 1. c. 3. *1.* Tim. *1.*

Ijdem hæretici pernicioſo planè dogmate docent legem Dei obſeruatu eſſe impoſſibilem, contra doctrinam Veterum. Conr. Ritterſch. p. 271. in Saluian. *ſed quomodo, inquies, non grauia ſunt Dei præcepta? Nonne omnes ferè contrarium experimur? Aio, & quidem magis auctoribus aio, noſtro vitio, & aſſue-*

aſsuetudine contrarium fieri, vt quæ ſua natura ſunt leuia, atque facilia, fiant grauia. Lactant. l.1. diu. Inſtit. cap.4. Hieronymus, Chryſoſt. Caluin. l.2. Inſtit. cap. 7. §. 5. *Quod autem impoſsibilem legis obſeruationem diximus, id eſt paucis verbis explicandum ſimul, & confirmandum. ſolet autem vulgo abſurdiſsima ſentētia videri, vt Hieronymus non dubitauerit illi anathema denunciare. Quid viſum Hieronymo nihil moror.*

An omnes ſemel iuſtificati, ad ſalutem ſint prædeſtinati. Caput XLIV.

EOrundem Caluinianorum ſententia eſt omnes ſemel iuſtificatos ad ſalutem eſſe prædeſtinatos. Huic opinioni opponit H. Grotius dogma veteris Eccleſiæ loco ſæpius citato: *Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap.*8. *Ex duobus pijs cur huic donetur perſeuerātia vſque in finem, illi autem non donetur inſcrutabiliora ſunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet eſſe certiſsimum, hunc eſſe ex prædeſtinatis, illum non eſſe. Nam ſi fuiſſent ex nobis ait vnus prædeſtinatorum, qui de pectore Domini biberat hoc ſecretum, manſiſſent vtique nobiſcum. Nonne vtrique à Deo creati? vtrique ex Adam nati, vtrique de terra facti erant, & ab eo, qui dixit; omnem flatum ego feci, vnius eiuſdemq. natu-*

ræ

ræ animas acceperant? Nonne postremò vtrique fuerant vocati, & vocantem secuti, vtrique ex impijs iustificati, & per lauacrum regenerationis vtrique renouati? Idem de Corrept. & gratia c. 8. filijs suis quibusdam, quos regenerauit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseuerantiam. & c. 13. Credendum est quosdam de filijs perditionis non accepto dono perseuerandi vsque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquando fideliter ac iustè viuere, & postea cadere. Idem scriptis postremis aduersus Iulianum l. 1. cap. 128. ait esse filios, quos Deus regenerauit, quos adoptauit, & tamen malos atque damnandos fore præuidit. Prosper ad obiect. Gallorum 3. A sanctitate ad immunditiam, à iustitia ad iniquitatem, à fide ad impietatem, plerosque transire non dubium est, & ad tales prædestinationem filiorum Dei, cohæredum Christi non pertinere certissimum est. Mox: Non reiecti sunt à Deo, vt relinquerent Deum, sed reliquerunt, & relicti sunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati sunt. Atque ob hoc licet fuerint renati, fuerint iustificati, ab illo tamen, qui illos tales præsciuit, non sunt prædestinati. Et ad septimam. Ex regeneratis in Christo Iesu quosdam relicta fide, & pijs moribus apostatare à Deo, & impiam vitam in sua auersione finire multis, quod dolendum est probatur exemplis.

De

De perſeuerantia. Caput XLV.

IIdem rigidi Caluiniani ſentiunt, ſemel iuſtificatos in grauia peccata, vt adulterium, homicidium, abnegationem Chriſti abripi, ſed tamen ab eis Spiritum ſanctum non prorſus auferri, nec eouſque eos prolabi, vt gratia adoptionis, & iuſtificationis ſtatu excidant. Huic dogmati opponit idem Grotius ibidem ſententiam veterum Doctorum. *Cyprianus l. 3. teſtimoniorum ad Quirinum: Baptizatum quoque gratiam perdere, quam conſecutus ſit, niſi innocentiam ſeruet.* Idem epiſtola ad Rogatianum: *Recedente diſciſtlina dominica receſſit & gratia.* Hieron. aduerſ. Iouin. l. 2. *Tamdiu ſciatis vos in generatione Domini permanere, quamdiu non peccaueritis. Mox: ſi peccauerimus, & per peccati ianuam ingreſſus fuerit diabolus, protinus Chriſtus recedit.*

Ijdem Caluiniani ſentiunt, fideles ſine reuocatione eſſe certos futuræ ſuæ perſeuerantiæ, ſiue ſuę prædeſtinationis: & hanc certitudinem eſſe veræ pietatis radicem. Idem Grotius affert Veteres Doctores contrarium tradentes. *Auguſtinus de bono perſeuerantiæ cap. 8. Deus autem melius iudicauit miſcere quoſdam non perſeueraturos, certò numero Sanctorum ſuorum, vt quibus non expedit in huius vitæ tentatione ſecuritas, non poſſint eſſe ſecuri. c. 24.*

De

De vita æterna, quam filijs promissionis promisit non mendax Deus ante tempora æterna, nemo potest esse securus, nisi cum consummata fuerit ista vita, quæ tentatio est super terram. Idem l. 11. de C. D. c. 12. & ep. 107. ad Vitalem de Corrept. & Grat. c. c. 13. & Prosper ad obiect. Vincentij 12.

De ieiunio Ecclesiastico. Caput XLVI.

HAeretici huius temporis vel planè nunquam ieiunant, vel si quæ ieiunia indicunt, faciunt id non ex vsu iam recepto, & stato, sed pro lubitu, & quando visum fuerit. Ecclesia verò antiqua habebat stata ieiunia, quę ab omnibus religiosè seruabantur. Fatentur id aduersarij. Isaac. Casaub. in primis in Exercit. ad primum tomum Annal. Baronij. Nam cum Cardinalis prolixè egisset de ieiunio Quadragesimę, quartæ, & sextę feriæ, & sabbati, de ieiunijs etiam arbitrarijs in afflictionibus ab Episcopo imponi solitis, addit Casaub. Exerc. *16.* §. 111. *Quod autem subijcit mox Baronius de variorum ieiuniorum temporibus in veteri Ecclesia verissimum est.*

Rigidi erant veteres in obseruatione ieiunij hebdomadis sanctæ, quam transigebant in Xerophagia,

gia, vt ſcribit Chriſtoph. Iuſtellus in Codicem Canon. Eccl. vniuerſ. p. 204. *Xerophagiæ*, inquit, *etiam meminit Epiphanius in Compendio doctrinæ Catholicæ, per ſex autem dies paſchatis omnes populi in ſiccorum eſu perſeuerant, pane, inquam, & ſale, & aqua, tunc vtentes ad veſperam. Et poſt pauca: Sic permanentibus ipſis in eodem ſiccorum eſu. Socrat. l. 1. cap. 22. Quidam ſicco pane ſolo veſcuntur. Tertull. ad Scapulam: Quando non geniculationibus noſtris etiam ſiccitates ſunt depulſæ.* Idem Iuſtellus in indice eiuſdem Codicis. *Ieiunia in communi ab Eccleſia obſeruata. p. 45. Can. 7. Si quis eorum, qui pietatis exercitationi ſtudent abſque neceſſitate corporis inſoleſcat, & tradita in commune ieiunia, & ab Eccleſia obſeruata diſſoluat, anathema ſit.* Fr. Iunius ad verba Codini p. 144. *Cognoſcendum eſt in palatio quatuor vigilias quotannis obſeruari*, addit Iunius p. 327. *nempe cum ieiunio pridie eorum dierum, qui ab authore exponuntur.*

Idem Iunius p. 329. ad verba Codini: *Hebdomadis, quam vocant* διακένιστιμον, *id eſt, rogationum. Dicitur autem exinanitioni dicata, quia per illud tempus exinaniunt ſua corpora, & macerant oraturi Deum pro commoditate anni.*

De Quadrageſimę antiqua obſeruatione ſcribit Caluin. l. 4. Inſtit. c. 12. §. 20. *Non in totum excuſare audeo Veteres, &c. Et tunc paſſim inualuerat ſu-*

per-

perstitiosa Quadragesimæ obseruatio, quia & vulgus eximium aliquod obsequium præstare se Deo in ea existimabat, & pastores eam commendabant pro sancta Christi imitatione. ibid.

Titulo imitationis Christi ieiunium ordinabant.

FINIS.

